

www.e-rara.ch

Gothofredi Guillelmi Leibnitii - opera omnia

Philologica continuatione - Collectanea Etymologica

Leibniz, Gottfried Wilhelm

Genevae, MDCCLXVIII. [1768]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 10306: 6

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-46335>

Godofredi Guillelmi Leibnitii et Iobi Ludolfi commercium epistolicum: [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

GODOFREDI GUILIELMI
LEIBNITII

E T

JOBI LUDOLFI
COMMERCIIUM EPISTOLICUM:

CUM ANIMADVERSIONIBUS

AUGUSTI BENEDICTI MICHAELIS J. U. D.

Et Philosoph. Professoris in Acad. Georgiâ Augustâ.

Juxtâ exemplar Gottingæ ann. 1755. editum.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1100 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
U.S.A.



G. G. LEIBNITII
 ET
 JOBI LUDOLFI
 COMMERCIIUM EPISTOLICUM.

I.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

De bello Turcis a Gallia rege inferendo exponit. Omnium linguarum cognitarum lexica confici, & alphabeta Latinis characteribus exprimi desiderat. Denique Ludolfi consilia de adornanda harmonica plurium populorum jurisprudentia probat.

PRæclaras cogitationes tuas de ratione belli Turcici gloriosa pace terminandi heri remisi. Multa ibi prudentissimè monentur. Nimis enim verum est, facillè in Europa novi belli incendium excitari posse, non tantùm morte Regis Hispaniæ, quæ utinam serò, nec nisi pace relicta contingat! sed & Gallorum ministrorum ardore, qui non obscurè minantur & Regis Christianissimi laudatissima promissa retractant, ex quo Cæsar novis munimentis contradicere audet. Eo scilicet res redacta est, ut ne verborum quidem libertatem nobis relictam velint, & non modò arma parari & fœdera jungi, sed & vocem mitti crimini detur. Illud cogitandum relinquo, an necesse sit in tractatibus fœderatorum, quorum formam præscribis, agnitam Christianis melioribus Cæsaris prærogativam, affectata secundùm mundi plagas seditum dispositione in incerto relinqui, quam ne Galli quidem in dubium vocare audent. Neque enim, nisi Moscus contradicere poterit, qui tamen fortasse cedit, intellecto reliquæ Europæ Christianæ consensu. Ipsa articulorum pacis delineatione nihil vidi exactius circumspiciusque. Itaque excerpti mihi libertatem sumsi. *Joannes Philippus* Elector Moguntinus, me hortatu *Boineburgii* scriptis rationes complecti jussu, id agitabat,
 ut

ut Gallis persuaderet, arma expedire in Ægyptum, *Ludovico Sancto*, sed imparibus viribus olim frustra petitam, dum Cæsar & Poloni pro sua parte incumberent hosti. Sed Galli propiora cogitantes talia spernebant, quæ nunc fortasse probarent, si parisi auctoritatis suasor accederet; inò credo per se agent, si appareat imminere imperii Ottomanni ruinam, & nobilissimas provincias volenti prædam paratam esse. Memini tum me versus quosdam edere, quibus per occasionem rem obiter attigeram, ex quibus nunc isti succurrunt:

Alæ Sarmaticæ juxta pedes Hungarus ultro
 Addit se comitem & spoliis Orientis inardet.
 Tum repetens famæ miserabile Græcia bustum
 Et *Constantini* redduntur mœnia Christo.
 Parte alia venis & DIs *Ludovico* secundis,
 Immensum invictis infernis classibus æquor.
 Rumpit enim dulces idem tibi nomine somnos,
 Æternam meritis *Sancti* cognomine famam.
 Progenitor magnus faces stragesque suorum
 Flagitat ulcisci.

Omniū linguarum cognitarum Alphabeta, qua licet, latinis characteribus variè effictis explicari optarem, non tantum eo fini, ut nomina propria rectè enuncientur, sed & majoris fructus causa, ut scilicet libri Arabici & Æthiopici & Syriaci & similes, saltem aliqui ut biblia aut dictionaria latinis characteribus excudantur: ita enim fortasse dimidio labore has linguas disceremus. (a) Me certè nihil magis, quàm characteres peregrini deterruerunt, quasi cortices durissimi, medullas sive nucleos includentes, quibus multi fruerentur, si fractam prius hanc nucem reperirent. Certè characteres illi barbari res accidentariæ sunt, sine quibus lingua stare potest efferrique & scribi. Cur igitur nobis difficultatem duplicamus per se maximam?

(a) Eruditos aliquot, qui variarum linguarum alphabeta typis exscripta dederunt, laudat Augustinus Grischovius in Introductione ad philologiam generalem p. 45. Ipse etiam Leibnitiū in literis ad Jo. Chamberlaynium datis, hujusque editioni orationis dominicæ in diversas omnium ferè genium linguas versæ adjectis, p. 130. laudat Eduardi Bernardi tabulam alphabetorum harmoni-
 cam, at in eam commentarium olim ab ipso auctore expectatum, nunquam produisse non minus dolet, quàm Jobum Ludolfum promissis non sterisse, qui Historiæ Æthiopicæ tabulam addere pollicitus fuerat alphabetorum ducentorum ea ferè ratione quam Leibnitiū indicat, concinnatam. Quodammodo etiam

huc faciunt, quamvis non ex asse desiderii Leibnitianis satisfaciant, qui orationem dominicam variis linguis typisque expressam dederunt, veluti is, quem modo nominavimus, Jo. Chamberlaynius, Amstel. 1715. 4to. Et anonymus quidam, qui Augustæ Vindelicorum, nulla mentione anni impressionis adjecta, in forma majore prodire jussit: Orationem dominicam, plus centum linguis, versionibus & characteribus expressam. Memini etiam similis cujusdam, ejusdemque recensissimi instituti, quod Greifenhahnus, ni fallor, adjutore usus Pl. Rev. Benjam. Schulzio, ad Indos olim Missionario Danico, executus est, sed annum editionis indicare nequeo cum Opusculum illud jam ad manus non sit.

ximam? Qui semel linguam nonnihil intelligit, paulatim & facilius procedet ad characteres. Neque enim illius opus est, nisi ad legenda manuscripta, quod non requiritur, nisi in iis, qui consummatiore linguæ notitiam profitentur, aut ad communicandum cum indigenis; quod rarum est in his oris. Ut taceam sumtus difficultatesque Typorum tam variorum & exoticorum, quibus & tardantur editiones, & pretia rerum augentur, & errores multiplicantur. Itaque & libros Gothicos aut Anglo-Saxonicos barbaris characteribus edi, quod in *Ulfila* & *Caedmonis* paraphrasi factum memini; (Hanc *Junius* edidit Anglo-Saxonicam: meminisse creditur *Beda*, est paraphrasis poetica in *Genesis* & alia) parum consultum arbitror; & perinde esse, ac si manuscriptos codices Latinos eo characteribus ederemus, quo exarati sunt, & qualem in specimen *Mabillonius* expressit. Sufficit alphabetum illa servari in usum curiosorum & intelligentiam manuscriptorum. Sed antequam hoc consilium exitum reperire possit, tuo Vir Amplissime, opus est alphabeto universali, cujus proinde majorem utilitatem agnosco, quam ipse polliceris.

Deinde optarem, non opera quidem tua, consilio tamen & auctoritate & judicio, ab hominibus linguarum peritis dictionariola edi, quibus plerarumque linguarum cognitarum radices atque primariae voces continerentur, adjecto grammatico cujusque compendioso, quæ sufficerent conversationi & scripturae & faciliorem librorum lectioni, postea usu & studio cujusque pro arbitrio longius deinde proferenda. Itaque peto a te cogitari saltem, quibusnam hæc committi, & quorum opera & qua methodo res usu quam mole major absolvi possit. Quod si fas esset, a te occupatissimo magnis curis, & per varia distracto impetrare, ut meditari aliquid de conficiendo hoc negotio & in chartam conjicere velles, profecto haberem, cur mihi & reipublicæ gratularer. Neque enim quicquam desideratur, quod viri docti, tibi noti partim & juvenes, linguarum quisque certarum periti, filo Ariadnæo a te præbito, præstare brevi non possint. Ac tum demum accederemus, credo, nonnihil ad id, quod *Sykius* & *Stiernhelmus*, aliique frustra attentarunt, harmoniam scilicet linguarum plerarumque & in plerisque; ut alia multa taceam latentia in his arcana, quæ una demum collatio detegeret. Erunt suo tempore, qui rem provehent longius & dialectos quoque populorum viventium in scripta redigent, quæ res necessaria erit perficiendæ linguarum harmoniæ. (Memini me audire in *Toletanis* montibus in media Hispania reliquias esse gentis, lingua ab aliis omnibus Hispaniarum populis discrepantis.) (b) Quis dubitat, his

Tom. VI.

M

ex-

(b) Memini & me talia olim legisse, ubi vero? nunc non succurrit. Et quem hac de re adii Franc. Xaverius de Garma y Salcedo in *Theatro universal de España* (quod opusculum *Mantuae Carpetanorum* 1738, in 12mo

prodiit) T. I. p. 241. sq. castam potius linguæ *Toletanæ* puritatem laudat, nec ab hoc p. 227. excitatur Bern. Alderette in *Originibus linguæ Castellanae*, quidquam adfert, explicandis iis quæ *Leibnizius* profert, quæque nos olim

excussis veterum quoque linguarum caliginem & nominum propriorum significaciones, aliqua luce collustrari posse? Intelligo Suecos patriis antiquitatibus eruderandis dudum collegium instituisse, (c) eique præsidem *Stiernhelmium* regia auctoritate impositum fuisse. Idem tibi, meo certè suffragio meliore jure Cæsar & Germania omnis deferrent. Certè in linguæ Theotiscæ profundiore cognitione magna latet pars historiæ & velut basis antiquitatum.

Atque hac occasione ad *collegii historici* consilium transeo: quod si rectè exequi liceat, mihi fanè mirificè probatur. Vidisti & notasti pro summa prudentia tua, quantis ea res difficultatibus laboret; non puto tamen insuperabiles esse, præsertim si per gradus ad summa contendamus. Itaque repeto quod dixi, doctissimos *naturæ curiosos*, in parte imitandos videri. Duplex illis institutum fuit, condere elaborata systemata vel opera, & tamen præclaras quoque observationes interim miscellaneis voluminibus dare. Varia illi naturæ effecta speciesque inter collegas distribuerunt. Hic cinnabarim, ille chryfocollam, alius opium, alius gammaros, aliaque alii ex tribus naturæ regnis accurate describenda sibi sumserunt, & magnam partem præfiterunt. Interim ne præclaræ multæ notitiæ perirent, quæ systemata hæc non commodè ingredi vel exspectare posse videbantur, placuit illis *Ephemerides* dare, omnium frugi rerum capaces. Quid vetat idem in *historia* institutum servari? Diurnæ & morosæ operæ est, provinciæ alicujus aut sæculi historiam perfectam dare. Dum igitur collegæ in his erunt, liceat quotidie materiam publicare, ipsismet collegis, in progressu, totique reipublicæ profuturam. Erunt enim quibus diplomata & chronica & fragmenta sint ad manus, quæ aliis collegis lucem accendere possint; sed hoc non agnoscent semper, qui habent: ignari consequentiarum, quas alius instituire potest in argumento versatior, nec licet circummissitare ad omnes, nisi typorum beneficio. Mihi certè non rarò contigit cognoscere in diplomatibus, quæ alii me oculatiores illic non viderunt. Unum vereor, ne publicato collegio, extranei sive invidia, sive suspitione quadam & morositate in communicandis monumentis tardiores fiant. Itaque Cæsarum auctoritate, fateor, & principum favore opus foret. Denique multa adhuc deliberatione opus est, ne quemadmodum corvus *Æsopicus* cantando prædam amittamus. Velim igitur eos, qui hæc moliuntur, tuis omnia consiliis agere, neque quidquam præcipitare, ubi cum delicatis hominibus in aulis, in rebus publicis, in ecclesiis & monasteriis negotium est. Nec inutile erit discere, qui jam nomina dare sint parati; quæ ab iis spes, qui apparatus. Ego libenter symbolam conferam. Habeo enim monumenta inedita non pauca. Erunt alii me instructiores. Sed consilia conferri, & plura quàm edita

olimmet ipsi legimus aptum. Cantabricam verò linguam a reliquis Hispaniæ dialectis mirificè differre, etiam in vulgus notum est.

(c) De Collegio antiquitatum patriæ apud Suecos instituto, conf. *Struvii* Introd. in notit. rei litterariæ. p. 915. [edit. *Fischer.*]

edita scheda comprehendi fas erat, de instituto bene animatis opus erit, quo intelligant, an in eo jam res sit, ut solida tanti ædificii fundamenta jaci possint. Itaque antequam certi quid concludatur, rogandi sunt, qui nomen dare volent, ut circa propositas leges conditionesque monita cogitataque scripto communicare velint.

Præclara erit summique tua *harmonica populorum jurisprudentia*, (d) nec ab alio temerè expectanda. Opus enim est historiarum cujusque populi & linguarum notitia, cum exquisita juris scientia conjuncta, quæ quantum mihi quidem constat, non alibi, quàm in te uno *Vir Amplissime*, collecta reperiuntur. Delineavi olim *tabulam* quandam *Romani juris*, qua non, ut vulgo in tabulis fit, tituli tantùm & nomina, sed ipsi omnium actionum, exceptionum, & ut verbo dicam, postulationum fontes continentur. Ad manum nunc non habeo. Ordinem ac dispositionem, quantum meminisse licuit, in scheda adjecta repræsentò, (e) si fortè tibi omnia in tabulis quibusdam uno conspecta exhibituro, usui esse possint. Vale, Vir summe, & fave nominis tui ac virtutum cultori perpetuo *God. Guil. Leibnitio*.

II.

I D E M E I D E M.

De collegio Imperiali historico, deque Christiani Knorrrii a Rosenroth conatibus caballisticis agit.

CUM antea merita tua in rempublicam & notissimam eruditionem maximi facerem; post propiorem notitiam Francofurti contractam, etiam effusam humanitatem exosculatus sum. Et meum erat, dudum gratias agere per literas, quod & absoluto itinere destinaveram facere; sed extractum est hoc longius, quàm putaram. Nunc cum alioquin occurrerent, quæ Francofurtum scriberem, crimen judicavi filere diutiùs. Ego post lustratam Germaniæ superioris bonam partem ex Bavaria Viennam denique descendere

M 2

in-

(d) Quodammodo cum his Leibnitianis convenire videtur, consilium Jo. Petri de Ludewig, qui Corpus juris universale editatus est, in quo non divina tantum jura, eaque vel ex naturalibus, vel ex positivis legibus derivata, verum etiam omnium gentium populorumque placita, ne exceptis quidem Muhammedicis & Judaicis proponere constituit. Spem amplissimi operis fecit in diurnis Halensibus, (den Gelehrten Anzeigen)

T. I. p. 500. sq. Sed otium, quod sibi optabat, nunquam nactus, tam immensum laborem non solum non perficere, sed ne aggredi quidem potuit. Nobis certè, bibliothecam & omnem apparatus literarium Viri celeberrimi, post ejus fata, studiose per aliquot menses quotidie visitantibus, ne unica quidem schedula obvenit, promovendo huic instituto destinata.

(e) Hanc in manus nostras haud pervenisse, merisò dolemus.

institui, natis domi rationibus & invitante fluminis commoditate. Viennæ aditum ad bibliothecam suam, pro incredibili in literas affectu, concessit magnus Imperator, ubi & Amplissimi *Nesselii* multam humanitatem sum expertus. Venere huc duo patres societatis Jesu ex Brabantia, *Papebrochio* in Actis Sanctorum colligendis adjutores, qui etiam hoc thesauro historiæ in bibliotheca Cæsarea recondito fruuntur, & imprimis tres græcos codices Menæorum prædicant. *Nesselius* apud me non una occasione testatus est, quam te colat. Pervelim nosse, quo sit loco *collegium Imperiale historicum*, de quo tecum litterarium commercium instituerat clarissimus *Paulinus*. Hic mihi dictum est a viro magno, stipendia Cæsarea flagitasse institutores, quod his temporibus non satis videtur convenire. Ego dignissimos censeo honoribus & commodis quicumque aliquid præclarum atque utile moliantur. Sulzbaci multum mihi fuit colloquium cum Amplissimo *Knorrio*, direttore cancellorum aulicorum; magno, ut non ignorabis, Hebræophilo, & in profundiore illa parte linguæ Judaicæ, quam *Kabbalam* vocant, supra plerosque Christianos versato. Is multa insignia manuscripta partim ex Oriente nactus est, partim aliunde sibi comparavit, unde arcana illius doctrinæ eruit, quæ ferè metaphysica est, & in *Kabbala denudata* atque alibi passim specimina dedit. Præclara sunt Judæorum Cabbalistarum testimonia in rem Christianam, quæ observavit. Ostendit mihi jam prope confectum opus, cui titulus est *Messias puer.* (f) Ubi historia Christi ab annunciatione ad baptismum usque, quæ ab Evangelistis traditur, cum aliunde, tum ex locis veterum Cabbalistarum mirificè illustratur. Magno plausu accepit & Æthiopicorum tuorum speratam continuationem, & quæ de Samaritanorum ad te epistola, (g) & tuo instituto conferendi varia alphabeta narrabam. Est & ipse πολυγλωττος. Itaque optarem inter vos commercium intercedere. Ex literis Serenissimi Principis, Landgravii *Ernesti* intellexi, nescio quam ipsi tecum disputatiunculam in causa religionis intercessisse. Magna est certè in hoc Principe variarum rerum cognitio, nec minor animi candor. Legatum Turcicum, qui in castra venit, creditur huc admissum iri. Veniet cum illo *Alexander Maurocordatus*, primarius interpres Portæ. Is medicus est Christianus, qui olim in Italia studiis dedit operam & libellum quandam de Anatomia edidit. Interim vix est, ut pax coitura sit facile. In magnam enim spem erecti sunt nostri, Turcas omni Europa expelli posse, nisi quid tempestatum ab Occidente insurgat. Quod superest vale, & mihi porrò fave. *Viennæ d. 30. Aug. v. St. 1688.*

III.

(f) Opus hoc nunquam typis vulgatum esse, constat. De auctore conf. B. Buddæi Introd. ad Hist. phil. Ebræor. p. 280. sqq. & Nova literar. a. 1718. in supplementum Actor. Erud. divulgata, auctore Jo. Gott. Crauzio p. 191. sqq.

(g) De Samaritanorum rebus, Christoph. Cellarius, tam aliis præfidiis, quam in primis his ad Ludolfum literis instructus, diligentissimè, in peculiari dissertatione exposuit, quæ inter dissertationes ejus academicas, junctim a Ven. Jo. Ge. Walchio editas legitur p. 108. sqq.

III.

EJUSDEM ADEUNDEM.

De collegio imperiali historico & de pace cum Turcis ineunda.

Non satis dici potest, quàm gratæ mihi fuerint literæ tuæ, tum quòd rectè valere te, & mei magis, quàm mereor meminisse significarent, tum quòd occasionem præberent, erga te non minùs, quàm viros doctissimos, qui historiam patriam communi consilio aggrediuntur, ostendendi studium meum. Propositum eorum imperiale collegium historicum fundandi, uti nunc conceptum est, Cæsari, tum per me, tum per insignes viros, accessum frequentem ad Sacram ejus personam habentes, commendatum, innotuit, placuitque. Præterea Illustrissimus atque Excellentissimus Imperii Pro-cancellarius, Comes de *Koenigseck*, ad cujus munus etiam illa pertinent, non obscurè favet. Itaque rebus ritè ordinatis protectio Augusta & singularis summi principis benignitas erga præclara instituta huic uni certè non deerit. Interea non dubito nomen daturus plures, aut certè opem pollicituros. Amplissimus *Nesselius* qui & ipse me suggerente rem Cæsari commendavit, usibus collegii non deerit. Nam certum est, innumera ex bibliotheca Cæsarea erui posse, unde historia patria ornetur.

Cæterum deliberandum putaverim, utrum præstet annales Germanicos scribi stilo quodam æqualiter fluente, quali in annalibus ecclesiasticis usus est Cardinalis *Baronius*. Atque huc ego potiùs inclinarem. Aliud enim scribi compendium aliquod elegans & floridum historiæ; aliud dari vastum corpus: quod non ideo elaboratur, ut tempori fallendo legatur, sed & ut præsens ætas thesaurum quendam relinquat posteritati, unde quisvis postea securè fundamenta historiæ petere possit. Atque ita etiam tutius scribitur & certius veritati litatur. Et cum aliorum haud dubiè non omnes, inter quos distribuendus erit labor, æque stylo valeant, hoc scribendi methodo omnes æquantur. Sed hæc tibi aliisque perpendenda submitto, & omne studium meum & quàm potero operam spondeo. Amplissimus *Nesselius* salutatur officiosissimè; respondisse aliquando innuit. Rabbinum nescio quem, a te quæsitum, tandem repertum ait. Ego memini me Dominum *Meninskium* videre apud Reverendos Patres Brabantinos, qui dudum hic discessere, salutatur & ipse multo cum affectu. In scribendo, de iis præsertim, quæ ad munus suum pertinent, magna circumspectione sibi opus esse ait; nam fuisse qui etiam innocentissima sint criminati. Creditur tandem aliquando legatos Turcas ad Cæsaris aspectum admissum iri neque ego sanè video, cur adeo arcè habeantur. Nam auferre eis rerum notitiam impossibile ar-

bitror, nec video etiam quo jure id contendere nostri possint. *Hoppius* Batavus ablegatus extraordinarius, qui olim in aula nostra & Berolinensi fuit, jussu ordinum Sultani literis rogatorum, conciliatoris partes agit, & spes est, utilem ejus operam fore. Veneti significarunt, paci honestæ sese non repugnaturus. Baro *Zierowskius* Polonorum comitiis Cæsaris nomine aderit. Nec dubito, quin aliquando seriò cogitandum sit, de aditu ad tractatus faciendo. Curandum enim est, ne legatorum Turcicorum animi penitus exacerbentur. *Maurocordaus*, Græcæ religionis homo, nunc palmarius portæ interpres & collegatus, olim in Italia medicinæ dedit operam, & libellum etiam edidit *de pulmone ejusque affectibus*, quem me videre memini. Aiunt præterea ingenio & ulu rerum valere. Itaque pro certo habendum est, nostras res ipsi satis prospectas esse. Certissimum est Cæsarem, nisi suprema coactus necessitate, quam Gallus imposuit, non fuisse de pace cum Turcis cogitaturum. Itaque meræ sunt calumniæ quæ in Gallico manifesto sparguntur. *Viennæ d. 12. Dec. 1688.*

IV.

JOBI LUDOLFI ad præcedentes literas responsio.

Leibnitii monita de ratione collegii Imperialis historici probat & varia de negotiis publicis addit.

Peroportunè allata mihi fuit gratissima epistola tua die $\frac{2}{12}$ Dec. scripta, cum jam lætissima salvatoris nostri natalitia tibi precari, nec non faustum ac felix novi anni auspiciam tibi optare vellem, tantum de loco sollicitus, quo literas meas dirigerem. Nunc cum intelligam te Viennæ adhuc unam & alteram hebdomada substituturum, sine mora respondere atque significare volui, consilium tuum de ratione collegii imperialis historici, mirè mihi placere. Etenim satis agnosco, plurimis difficultatibus atque dubiis subjectum fore opus, si annales Germanici stylo gravi atque verè historico scribendi essent. Quàm paucorum enim hoc talentum est! quàm difficilis censura! quàm arduum præsidis officium, si animadverteret, minus dignè & convenienter id ab uno vel altero tractari? Facile enim contingere posset ut cento fieret potius, quàm historia, vel caseus Suecicus, quem illi *Plokoost*, *Sammelkäse* vocant, de quo mihi retulit Dominus *Biörneklaw* Secretarius Regius in tractatibus Osnabrugensibus, Comitem *Gabrielem Oxenshiernam*, postea Cancellarium, tunc temporis verò studiosum ex academiis reducem & in Latinitate bene versatum, interrogavisse *Salvium*, unde tanta diversitas styli in Instrumento Pacis? Respondit ille: rem melius comparari non posse, quàm cum caseo Suecico modo memorato.

Ete-

Etenim certo anni tempore lac concretum a parochianis vicatim habitantibus in parochi aedes congeri, & in magno caldario confundi, & postea exprimi, ut caseus ingens fiat, qui post aliquod tempus dissectus, alibi flavus, alibi coeruleus, alibi viridis appareat, atque diversissimi saporis sit. Ita se habere Instrumentum Pacis: quemlibet enim ex Ordinibus pro suo modo suoque stylo schedulas inferendas ad Legatos misisse, quas illi sine alia censura inferuerint. Sed hæc obiter & jocose. Apographum epistolæ tuæ illico ad *Paulinum* misi, ut ibi collegis significet, qui lætabuntur, se magna sollicitudine, quid & quomodo scriberent, exsolutos esse, eoque libentius operam suam, in conquirendis variis historiis & monumentis ineditis impendent. Præsidis verò erit, ea secundum seriem temporum ordinare, atque connexionem ostendere, prorsus ad modum Baronianum, uti suavis. Plane volupe omnibus erit, intelligere, quod Cæsari consilium, uti scripsisti placeat; sed procul dubio scire volent, unde id constet? an & cui verbulo hoc unico responderit: *Placet?* an aliud benevolentiae Cæsareæ signum dederit? quænam etiam indicia sint, quod Illustrissimus & Excellentissimus Comes *de Kœnigseck* operi faveat, & quis cum eo hac de re locutus fuerit?

Amplissimo *Nesselio* pro benevola & prona in collegium historicum voluntate gratias age. Ita est, ut nuper scripsi, me nullam unquam ab eo epistolam vidisse. Librum Rabbincum quem reperit, quæso aspicias: qualis vel quantus sit, nisi grave fuerit, mihi nunties. Non pro me, sed pro alio amico quæsitus fuit. Quippe amicorum studia, quantum in me est, promoveri soleo. Quam ob causam aliud memoriale tibi hic mitto, quod *Baluzius* Lutetiæ Parisiorum pridem mihi commendavit: ut & aliud novum, quod Dominus Assessor *Eyben* mihi commisit, ut plurima cum salute ad te mitterem. Videbis, quid negotia tua patiantur. Dominum *Meninkium* quoque data occasione salutari officiose peto, & tantum interrogare, num epistolam meam die $\frac{13}{9}$ Octobris ad illum datam, cum disquisitione mea de Pace Turcica acceperit: id modò sciam, responsum non efflagitabo. Ex illa, ut & novissimis meis satis comprehendere potuisti, quantum induciis Gallicis diffusus fuerim, & quantum suaserim tractatus pacis solummodo inchoare; sed spretus fui. *Tractare non est concludere.* Lactandos potius putarem hostes spe pacis, quam ostendendo arma magis exasperare & accendere. Utrumque bellum simul geri posse, ex nemine rerum perito huc usque intellexi. Ab Anglicarum rerum eventu salutem nostram pendere rectissimè judicas. Certissimum est, Regem Angliæ, ut desiderio suo satisfaceret, reliquæ Europæ salutem nihili æstimavisse; etiamsi Gallia universalem monarchiam adipisceretur, nihil sibi metuit, potius consiliorum & armorum conjunctionem intendit. Jam Parlamentum liberum ad $\frac{15}{2}$ Januarii indictum est. Catholicæ religioni nihil certè metuendum; imò melior conditio catholicis in Anglia sub auctoritate Auriaci principis speranda. Nam prout Rex hoc negotium tractare exorsus est, durabile non erat: nam sola ejus auctoritas nihil stabile efficere poterat; multo gravius periculum catholicis

tholicis eo imminebat. Si moderatè agere & cum consilio Parlamenti legitimè convocati libertatem conscientiae, ut vocant, stabilire voluisset, credo rem successum habituram fuisse; nunc unicè cavendum est, ne intempestiva pro religione sollicitudine, recta consiliorum ratio turbetur, quæ unicè in hoc consistit, ut animi fortitudine & immobili constantia Gallorum arma tam diu reprimantur, donec solida & firma pax coalescere possit. Aut nunc, aut nunquam talem pacem habebimus, si uniti & conjuncti maneamus. Status noster hic prope Rhenum valde ambiguus est: nam Galli *Moguntia* potiti, Rhenum transire cum lubet, possunt. Et nisi aliis in locis diversio tanti hostis tentetur, pauci Fœderati hic circumcirca hospitantes illum lacessere non audent, satis habentes, si hanc urbem & *Confluentiam*, quæ certè in magno periculo adhuc est, tueantur. At summopere nos exhilaraverant fortissima consilia ab invictissimo Imperatore nostro capta, dum Legatos Gallicos Germania excedere jubet, Ordines hortatur ad constantiam, & calumnias eorum per Legatos suos Ratisbonæ redarguit, qui dixerant: Cæsari hos Circulos curæ non esse. Credo illas inde ortas, quod Magnatum quidam, paulo incautius locutus, dixerat: nisi Ordines semet defendere vellent: Cæsarem parum de iis sollicitum fore: ditiones ejus patrimoniales nullum periculum habere, illumque adhuc bello Turcico distineri. Verum nunc omnes arrecti sunt, laudatissimis Cæsaris declarationibus, pro Cæsare & Imperio omnia passuri & tentaturi. Deus avertat pravas suspiciones, altercationes, & certamina inter liberas gentes heu! nimium frequentia. Sed quo voto cœpi, nunc quoque finio, Deus te servet in multis annos, atque prosperum negotiorum successum & prosperum iter largiatur. Vale, mihi que favere perge, qui sum &c. *Francof. d. 21^o Dec. 1688.*

V.

LEIBNITII RESPONSIO.

De Annalibus Germaniæ scribendis. Collegium historicum Imperiale Cæsari placuisse significat. De quibusdam codicibus Rabbincis bibliothecæ Vindobonensis, aliisque literariis, denique de negotiis publicis disserit.

GAudeo, cogitationes qualescunque meas, circa *annalium Germaniæ* styllum ac methodum ad Baronianum morem, tibi non displicuisse: ita enim non tantum facilius erit labor, sed & exactior. Nam in historia vetere omnino testibus est opus. Nec me *Maimburgii* iudicium movet, qui *Κριτικότερον* illud scribendi genus & historicum decere negat, & historico admisceri non vult. Id enim est, sub prætextu elegantiae fingendi portam apertam sibi servare velle. Quod ad Cæsaris sententiam de tota re attinet, de

de qua testem quæris, ita habeto, mihi tunc non amplius integrum fuisse, ex ipsius Sacratissimæ Majestatis suæ ore discere, quid videretur; cum igitur tum ægrotaret ex podagra, Illustrissimus Comes de *Koenigseck*, Imperii Procancellarius, & fortè Reverendissimus atque Illustrissimus Episcopus Neostadiensis, cum quo mihi aliqua dudum notitia intercesserat, in eo esset, ut adiret Cæsarem, a me offerendam maximo principi, quam miseris, instituti delineationem, ipsi commisi. Fecit è vestigio, & renunciavit, Cæsarem disertè satis testatum fuisse, pergratam sibi esse, hanc ordinandæ historiæ patriæ voluntatem. Porrò cum Illustrissimo Procancellario, de quo etiam quæris, antea locutus eram ipse, & satis intellexi, favere illum pro summo judicio suo, cum historicis investigationibus in universum, tum verò singulatim consilio huic, condendi collegii historici Imperialis. Dominus *Nesselius* & tibi & amplissimo *Eybenio* sua officia cultumque deferri jubet, & ita ad me scribit: *Displicet mihi magnopere, quod literæ meæ olim exaratae, non mea culpa, sed forte postarum sint perditæ, data in posterum scribendi materia, jacturam illam lubens resarciam.* Misit mihi inspiciendum librum illum Rabbincum, de quo scripseras. Est is codex Hebræus decimus tertius Bibliothecæ Cæsareæ chartaceus, in quarto. Continentur in eo, ex notatione *Tengnagelii*: 1) *Averrois* Commentarius in *Aristotelis* analytica posteriora, 2) *Rambam* sive *R. Mose Menachem* vel *Recanatenensis* opusculum cabbalisticum, quod est 30. circiter foliorum, 3) *R. Nechonia Ben Haksna Sepher Habbahir*, cabbalisticum opus, cujus sunt circiter folia 27. 4) Excerpta ex *Medrasch* sive Commentario in *Ruth* & *Canticum Canticorum*. Quæ cel. *Baluzius* desiderat, etiam inspexi. Non facilè hic aliquem prece vel pretio invenias, qui hujusmodi aliquid describere possit relitque. Oportet & perpetuo assidere: nam scribendi ratio a communi satis distat, passimque notis compendiariis, hodie inusitatis obscuratur. Adde, quod in his oris, Græcæ literæ & omnino studia interiora minus vulgo colantur, quàm quis facilè credat. Studiosa enim juvenus scholasticæ philosophiæ & jurisprudentiæ in medio positæ, dat operam. Tentabo an ipse aliquid, si tempus suppetit, saltem possim in gratiam celeberrimi viri, cui olim non prorsus ignotus; quamquam mihi nec magnus olim fuerit & nunc prope nullus sit linguæ Græcæ usus. Amplissimo *Eybenio* me commendari & officiosissimam meo nomine salutem nuntiare peto, quem ego virum inter rara jurisprudentiæ elegantioris ornamenta semper colui. De auctoribus, quos nominavit, Domino *Nesselio* nihil nunc succurrit, quoniam nondum confectus est plenus Index Cæsareæ bibliothecæ.

Rerum Anglicarum maxima commutatio ostendit, nec Galliam infallibilem esse. Dubium nullum est, quin abruptæ cum Imperio pacis & obfessæ Philippolis nuntius Auriaco optatissimus advenerit. Nam si Gallus magnas vires, quibus superiorem Germaniam inundavit reliquis junctas, Batavis de propinquo offendisset, haud dubiè & Cardinalem *Fürstenbergium*

gium texisset, quem nemo, opinor, invasurus erat, & metu præsentissimo injecto Auriaci transfretationem impedivisset. Interea, etsi peccaverit fortè Gallia, nos tamen cavere debemus, ne nobis nimium faveamus. Quam enim malè consultum adhuc sit Circulo Westphalico, & quod hinc sequitur Saxonico inferiori, cui a tergo Danus imminet, Juliensis & Bergensis tractus, Gallicæ rapacitati expositi, ostendunt. Itaque optandum, ut copiæ maturè ex Anglia redeant, & quidem auctiores. Neque ego excensionem in Galliam, quæ a plerisque jactatur, tantum tribuo, ut ea fiducia fines nostros Batavosque negligendos putem. Classis interim aliquo imposito milite nihilominus oram Gallicam infestam habeat, & forsitan aliquid gerendi occasionem inveniet; certè non exiguam virium regni partem; quin & bombis fortassè urbes maritimas incesset. Ita redibit in auctores malum. Sed quia hujus perniciosi inventi mentio incidit, adjiciam Epigramma, (h) quo nuper in bombos lusi, pulchrum futurum, si eorum vim coercere posset, ut olim carmina Thessalica, quæ efficaciam verbis, magico ritu, si credimus, addebant. Vale & fave. *Viennæ Austriae* d. $\frac{12}{20}$ Januar. 1689.

VI.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

De collegio Imperiali historico nondum Principum liberalitate juvando, & de negotiis publicis, cogitationes suas exponit.

EX Tenzelii tui, viri doctissimi, menstruis dialogis didici, literas quædam meas ad te pervenisse, quibus scripseram, præclarum collegii historici Imperialis consilium Viennæ ipsi Cæsari, summisque quibusdam viris probari. Sed illud tamen, ibi non sine dolore animadvertere mihi videor, interruptum opus pendere, nec eam afferri ab iis alacritatem, a quibus maximè præstari debebat. Vellem ego, quædam Dominus Paulinus ibi scripsisset parcius, nec nisi consilio tecum communicato. Tu quidem prudentissimè ad me scripseras, rem omnem initio conspirantium eruditorum opibus gerendam, nec petendum quidquam a Principibus, antequam

(h) Epigramma hoc nunquam vidimus. Perit fortè inter Ludolfinas schedas. Nec adeo magnum, opinor, inde sentiet detrimentum vel literatus orbis, vel poeticam artem amantes. Notissimum enim est Leibnitium, virum ceteroquin summum, in carminibus pangendis vix se ostendisse medio-

crem. Nolo referre quæ Jo. Petr. de Ludewig Gel. Anz. T. II. p. 130. hanc in rem commemorat, dubia fortassè. Sufficit ad fidem assertis faciendam, inspexisse carminis Leibnitiani fragmentum, quod supra p. 88. retulimus.

quam speciminibus publicè editis excitatæ generosæ in aulis mentes, velut sponte ad opem ferendam inardescerent. Dominus *Paulinus* alia sibi consilia esse subinnuit, eaque re, ni fallor, detrahit aliquid de auctoritate instituti.

Confœderati rem præclarè gessere, quamdiu intra civilis negotiationis tractatusque politici artes stare licuit. Sic Anglia *Jacobo* Regi ingenio magis, quàm vi erepta est, Danus a Gallicis portibus avulsus, & nunc *Sabaudus* ipse animo sumto ad factionem accessit, Europæ, si fata sinunt, liberatricem. Sed video, in campo & pulvere non eadem industria rem administrari, remissis animis intempestivoque hostium contemptu. Scilicet quidam tantum tribuebant causæ, quæ sanè justissima est, ut crederent, Deum omnia per se gesturum; alii ineptorum hominum adulatoriis vocibus decepti, persuadere sibi non poterant, Gallum arma & naves habere. Hoc quidem jactari credique a promiscuo milite facilè fero, imò & probo: nam in hoc hominum genere audacia pro virtute est. Sed Duces ipsos, quorum imprudentia insanabilis clades accipi facilè potest, tam vanis vocibus moveri miror. Interea pro Principe *Waldeccensi* testimonium perhibent literæ Batavorum, prælium viribus imparibus sedulo dissuasisse; sed aliorum suffragiis in concilio victum, manus dedisse. *Sarapontanus*, nescio an verè, auctor infelicis cœpti accusatur; jactas ab eo in *Waldeccensem* voces aculeatas; effectumque ut consilia cauta pro timidis haberentur. Sed utinam Princeps egregius maluisset sui judicii habere rationem, quàm alieni, *Fabium*que imitari, *Minutii* dicteria spernentem, nec rumores saluti ante ponentem. *Guelferbytana* auxilia ingens detrimentum passa sunt, bona parte a corpore exercitus avulsa, & ad deditionem adacta. *Die 13. Jul. 1690.*

VII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM

literæ.

Excusata scribendi mora, leges collegii Imperialis historici editas ad Leibnitium mittit.

Responsum me debere ad binas tuas fateor, sed multis me impeditis districtum, imprimis *Commentarii* mei *Æthiopi* editione fuisse, non diffiteor. Defectum sufficientis excusationis, benevolentia tua supplebit. Exemplar operis mei tibi destinavi, ut videas, me in edendo illo otiosum non fuisse; simul ut si monenda quædam reperias, ea me non celes. Absoluto opere ad consilium nostrum de conscribendis Germaniæ

nostræ annalibus redii, revidi leges editas ac denuo seorsim imprimi curavi, ut eruditi legere & æstimare possint, num ad scopum præscriptum sufficiant. Qua in re iudicium tuum præ cæteris summopere æstimabo, ac ob id illarum exemplar tibi mitto. Reperies in iis consilium tuum approbatum, nimirum ut annales nostri, ad modum ecclesiasticorum *Baronii* conscribantur. Epistolas tuas domi reliqui, cum ob mortem repentinam Serenissimi Principis *Friderici* huc festinarem. Alias plura nunc adderem. Quis verò rerum *Gothanarum* status sit, *Molkius* vester referet. Tu interim vale meque amare perge. *Gothæ d. 21. Aug. 1691.*

VIII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Varia philologica continet, in primis ad Ludolfi consilium, apparatus lingue Germanicæ conficiendi, spectantia. De codicis argentei dialecto. Continuationem operis Seckendorffiani de Lutheranismò, optat.

VAlere te, & defunctum esse insigni labore *commentarii rerum Æthiopicarum*, gratissimum intellectu fuit. Plurimum tamen accessit, voluptati meæ, quod tute hoc significasti, quod dicam? quod munus ingens ipsius operis addidisti. Munus certè invidendum, & suo pretio, & dominantis. Accessere in cumulum *leges historici collegii* denuo a te limatæ, quibus meritò applaudo. Nec dubito, te, nunc ab aliis cogitationibus absolutiorem, hanc rem impensius curaturum, quod utique ad dignitatem pariter & fructum Germaniæ pertinet. Atque utinam cogitata hæc venissent, ante tot Rheni urbium cladem & spolia archivorum in Galliam aucta. Fortasse tamen etiam inde aliquid lucis per *Thevenotium*, *Obrechtium* aliosque viros doctos nanciscemur.

De originibus Germanicis, linguaque inprimis, tibi apparatus ut audio molienti, cogitandum erit attentius. Consideravi non ita pridem linguæ Cambricæ vel Wallicæ lexicon, quod recudi curavit *Boxhornius*, & video multa esse Germanicis nostris consentientia; sed & multa tamen abhorrentia prorsus, quod eo minùs miror, quoties cogito, quàm multa sint in veteribus Francicis aut Saxonice glossariis toto cælo diversa a nostris. Nempe si prima inter vicinos linguæ mutatio dialectum aliam parit, secunda & tertia mutatio tandem aliam faciet linguam; neque ego valde illis repugnem, qui pleraque linguas, cogniti veteribus orbis ab eodem fonte fluxisse iudicant. Sed de Sinensibus, Americanis, Afribus, quid dicam non habeo, usque adeo illi toto sermonis, ne dicam corporis habitu, a nostris dissident. *Codex argenteus* an Gothicam linguam contineat, nondum

dum fatis securus sum. (i) Res sumitur magis, quàm probatur. Sed & de Gothis Sueciæ sæpe hæreo, etiam post *Jornandis* testimonia lecta expensaque. Certè idioma codicis argentei non minùs, quàm character, a Suedicis & Runicis immane quantum differt. Suecica & Danica plus Anglo-Saxonici habere mihi videntur. Unum *Fan* pro *domino* notavi in codice argenteo, quod hodieque habent Suedi. Non dubito, quin sint plura: sed mihi nec vacavit, nec parum gnaro Suedicorum & Runicorum, licuit inquirere: sed etfi paucula vocabula consentirent, ipsa tamen idiomatis structura multum abit. Sed nemo de his melius te uno judicabit. *Seckendorffianum opus* illustre nunc habemus, credo. Vellem esset, qui prosequeretur ultra *Lutheri* mortem. In eam rem ego summo illi viro doctissimum *Tenzelium* proposui, ut quoniam valetudinem ejus affectam, tam moroso labore ultra sollicitari æquum non est, saltem sub ejus oculis res geri posset. Nec dubito, ipsius auctoritate Principes quosdam Evangelicos animatos, facile adduci posse, ut otia faciant clarissimo viro, necessaria ad hujusmodi opus. Et cum tui quoque suffragii magnum pondus sit futurum, intelligere velim, quid ea de re sentias. Rogo, ut inclusas curari jubeas. *Krafius* ad quem scriptæ sunt, vir est tibi fortasse nomine notus; in chemicis, mechanicis & re mercatoria excellens usu ac meditatione. Dominus *D. Weizius* archiater Gothanus, vel alii, rationem literas ad eum curandi facillè suppeditabunt. Quod superest vale ac fave. *Brunsvic. d. 5. Sept. 1691.*

IX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Quædam, potissimum ad origines linguæ Germanicæ spectantia tradit.

Literis tuis gratissimis d. 5. Sept. & 26. Nov. ad me datis, tardius respondeo. Cujus moræ, quo plures causas habeo, eo faciliorem veniam a te spero. Post reditum meum è Saxonia, negotia, tam publica, quàm privata, interim accumulata, expedienda erant. Literis, quæ undique advolant, tantùm non obruor. Ut Europæas taceam, a Sichemitis de-

N 3 nuo

(i) Codicis argentei idioma Francicum credidit Maturinus Veyssiere la Croze, philologus olim summus. Vide quæ in hanc rem monuit in thesauro epistolico Lacroziano T. III. p. 78. Et quæ uberius pro eadem opinione firmanda exposuit Jo. Dav. Michaelis, frater conjunctissimus: in der Einleitung zu den götlichen Schriften des Neuen

Bundes p. 274. seqq.

Novissimè Jo. Ihre V. C. Gothicam originem codicis argentei adseruit, argumentis usus haud contemnendis, in diss. de lingua codicis argentei. Upsal. 1754. 8. edita. Cf. Goettingische Anzeigen 1755. p. 419. seqq.

nuo literas accepi. Priores impressas procul dubio vidisti. Si *Scaligerianas* è bibliotheca regia Gallica habere possim, omnes simul imprimerentur. (k) Auxilium pecuniarium expetunt miseri, idque sese mereri posse putant, si doceant, quàm accurati sint observatores legis Mosaicæ, meliores multo Judæis, atque huc trahunt nomen שׁוֹטְרֵי כֹּהֵן custodes vel observatores legis. *Chalybone* (*Aleppo*) quoque a consule Hollandico nuper epistolam retuli, eamque minimè vacuum, sed cum munere דָּוִד דּוּדַיִם Dudaim, & כֶּסֶם Botme, dictis, quæ *Jacobus* filio *Josepho* in Ægyptum misit dono. Palmulæ enim, ut quidam reddunt, idem fuisset, ac noctuas Athenas. A promontorio bonæ spei missa ad me fuerunt specimina linguæ *Hottentotica*, ut videam, num cum Æthiopica mea conveniant, quasi ego etiam de ferorum hominum glocitatione verius, quàm lingua judicare possim. Idem, quod tu ais, fateri me oportet, de *Sinensibus*, *Americanis* & *Cafribus*, cujusmodi *Hottentotii* sunt, me non habere quid dicam; de habitu & constitutione corporum multo minus, videlicet *Anthropophagorum*, *Pamphagorum*, *Pygmæorum*, mulierum menstruo carentium & similibus. Quæ obiter tetigi in *commentario* meo *lib. I. c. I. nu. XXII. §. 23.* De *Pygmæis* tantum addam, quæ Dominus *Ant. Rod. Costius* Secretarius ac *Thesaurarius* Regius, post editum opus meum, de *Pygmæis* interrogatus; ad me scripsit: *Tenho averiguado, que la Reinha defunta mando a o Duca de Savoia duos negros e duas negras de tres palmas cadabum.* Compertum se habere ait, quòd *Regina* defuncta duos Æthiopes & duas Æthiopissas miserit *Duci Sabaudia*, trium palmorum singulas. Cætera habes in opere ipso.

De linguis, quarum te video studiosissimum, in *commentario* meo egi *lib. I. c. XV. n. CXI.* ubi necesse habui, non tantum insanos *Talmudistas*, sed & alios viros claros notare. Verum ea omnia limatissimo *judicio* tuo submitto, idque commoda occasione expecto. Sed a causis diuturnioris silentii mei distractus, summam nunc expono, ne scilicet epistola mea, celerius veniret promisso munere, adeoque promptior viderer scribendis literis, quàm exfolvendo debito. En *commentarium* meum! quem tibi benevolè offero, sed non sine magno onere, ut eum videlicet horis succis-

fivis

(k) Primus fortè *Europæorum* fuit, qui *Samaritanarum* literarum cupiditate teneretur *Jos. Just. Scaliger*, nactus hanc in rem schedas quasdam ex Ægypto allatas, quas vel edidit, vel ineditas bibliotheca *Lugdunensi* apud *Batavos* legavit. Sed his cum restingui suis magni *Scaligeri* haud potuerit, ad *Samaritanorum* in Ægyptum & *Palaestinam* synagogas exaravit literas, quibus geminis epistolis responsum fuit, neutra tamen ad *Scaligerum* pervenit. Sed post ejus

fata illas nactus *Peirescius*, per *Jo. Morinum*, è congregatione oratorii, latinas reddi curavit. Ex *Peirescii* thesauris literariis ἀπογραφα in bibliothecam Regiam *Parisiensem* migrarunt: frustra non a *Ludolfo* solum, sed etiam a *Christoph. Cellario* expetita. Versio tamen latina in *scriniis Morini* reperta, lucem adspexit *Londini* 1682. Cf. *Cellarii* *diff. de gent. Samarit. hist. p. 137. seq. edit. Walch. & Peirescii* vita per *Gaisfendum* p. 119. *seq.*

fivis evolvas, & si quæ monenda invenias, liberrimè moneas. Ex te enim tuisque literis semper aliquid addisco, atque iudicium tuum maximi facio, dictionemque tuam æstimo. Si quoque ex aliis de me rebusque meis aliquid cognoscas, id celare me noli. Nam sive mala sive bona de me prædicent homines; mediocria tolerabo, nimia deprecor. Cùm nuper Gotha ad te scriberem, literas tuas priores, mecum non habebam; igitur prætermiſſa nunc reddo. Dominum *Friderici* dudum compellavi, num debitum opus bibliothecæ Lipenianæ tibi miserit? affirmavit illud, ipsique fidem habui, ideoque silentio transmiſi. Nunc verò significo, ut scias, me tuis mandatis expediendis semper fore promptissimum. Quod collegium nostrum Imperiale historicum spectat, planè tibi assentior, ante specimina publicè edita, nihil neque in Cæsarea, neque aliorum Principum aulis commodè agi posse. Verum est, quod *Paulinus* noster urget, pecunia quadam subsidiaria opus esse; sed si pro privilegio Cæsareo petatur, ego ne obulum quidem dare decrevi. Si negotium pro gloria patriæ gentisque nostræ successerit, gloriabor id sine privilegio ullo factum; sin minus, nolo rem inanem Cæsaris nomine decorare. Igitur jam laboro, in concinnando operis proœmio, quod in me recepi, & urgeo eos, qui primum & secundum sæculum elaborandum susceperunt. Urgeo inquam, neque enim iurisdicção ulla, multo minùs imperium ullum in eos competit. Nomina quidem sua collegio dederunt; sed sine diligentia voto; multo minus iuramento. Hæc scribo, ut si opinione lentius procedat negotium, nihil mihi imputetur. Ipse enim nosti, quàm tardi sint labores gratuiti. De originibus linguæ Germanicæ multa quidem habeo; nihil tamen molior. Multum mihi negotii cum *Cæſo* ejusque sociis, sermonis hodierni reformatoribus, qui me in societatem pertrahere voluerunt. Respondi, me inutilem illis fore socium, & perturbatorem potius, nisi mecum in principiis conveniant. Primò certò decernendum esse, quæ vocabula pro peregrinis, quæ verò pro nativis habenda. Non enim omnia ea peregrina esse, quæ cum peregrinis conveniant. Quem enim tam insanum fore, ut afferat, majores nostros neque nasum, neque aures, *Obren*, oculosve, *Oogen* habuisse, priusquam a Latinis discerent. Statuendam esse antiquissimam linguam, communibus nostris majoribus communem, quam si *Japheticam* appellare velis non averfabor, ex qua communia illa vocabula profluxerint: sic uti cognati & agnati non descendentes a se invicem, neque pro extraneis, sed pro propinquis ex communi stipite descendentibus habendi. Ita Græca βολομαι *wollen*, ἤματιον *Hembt*, κέρας *Cornu*, *Horn*, ἥλιος *Sol*, *Sonne*, & infinita alia, non a se invicem petita, sed a majoribus retenta, mirabiliter detorta, multa in contrarium versa, veluti *blak*, *niger*, & *blanc albus*, *calidus*, *warm*, *kalt*, *frigidum*, *Tropo multum*, *ein Tropp*, *gutia*, *parum*. Qualia etiam in Orientalibus dantur. Ubi in una lingua radix, in altera derivatum mansit. Ita hic si quæras, *vacillare* (incidenter nota, pronuntiationem veterem ubique sciendam ac retinendam) *wakillare*, *wakeln*,

keln, sitne Latinum an Germanicum verbum? radix quærenda est, quæ non in Latina, sed in Germanica reperitur lingua. Est enim frequentativum a *wiegen*, *wægen*; cognata sunt *eine Wage*, *Wiege*, *Woogen des Meeres*, & similia a motu reciproco dicta. Sicuti igitur hominis patria est, ubi oriundus est, & familiam suam cognatos & agnatos habet, ita & vocabuli. Quod modò obiter dixi, pronunciationem Latinam antiquam cognitam esse debere ei, qui de origine vocabulorum judicare velit, nempe, C semper ut K, V verò ut W Anglicum pronunciatum fuisse. Inde apparet *Cerasa*, *Kerasa*, *Kirschen*; *Cicer*, *Küchern*; *Vicia*, *Wicken*; *Cæsar*, *Kayser*; *Carcer*, *Kaercker* cæt. partim verè Latina esse, partim antiquitus retenta. Porro creberrimè inculcavi, vocabula peregrina, in communem usum a tota natione recepta, ac veluti tacito consensu civitate donata, eliminanda neutiquam esse. Veluti, si quis peregrinos, civitate vel gente donatos, (*Naturalisès*) rursus exturbare vellet, magnam utique illis injuriam faceret; ita si quis talia vocabula, pridem in usum introducta expellere vellet, monstrum linguæ produceret, nec tamen quidquam efficeret, cum ne quidem in summi Principis potestate sit, linguam mutare, aut vulgo aliam ac ipse utitur, obtrudere. Talia sunt *Fenster*; mensium & artium & herbarum & fructuum advectorum nomina, vulgo recepta. Eruditi aliquid inter se facere, vulgo persuadere non possunt. Semper ingessi exemplum Agrippinensium in casu simillimo apud *Tacitum Hist. IV. cap. 64. & seqq.* Ubi Tencteri volebant, ut Agrippinenses Romanos omnes in finibus suis trucidarent, ut sinceri ac integri agerent. Quibus Agrippinenses responderunt: alienigenas qui in finibus eorum fuerint, vel bellum absumpisse, vel in sedes suas refugisse: deductos olim & secum per connubium sociatos, & qui ex illis provenerint, hanc patriam esse. Neque vos adeo iniquos existimamus, inquit, ut interfici a nobis, parentes, fratres liberos nostros velitis. Hæc & similia, reformatoribus opposui, quibus variè, sed parum idoneè responderunt. Nimum excresceret hæc epistola, si omnia hac de re acta & scripta referre velim. De septentrionalibus linguis aliquid dicere, nec temporis nec epistolæ ratio finit. Certum est, & in iis multas communis originis radices retentas, exempli gratia: Nos habemus *Verdammen*, *Christendum*, *Heydendum* cæt. Radix in illis est *dōma*, *judicare*; hinc *dōmare*, *judex*, & multa alia. *Verdammen* igitur est *Verurtheilen*, *Christendum*, ditio Christianorum. *Elbe* est nomen appellativum *flumen*. *Mutwill* est *Mootwill*. *Moot* enim significat *contra*. Si enim a *Muth* derivaretur, dicendum esset *Wilmuth* sicut *Demuth*, *Hochmuth*. Præpositiones verò præponi solent, ut *Zustand*, *Wiederwille*, idque propriissimè est *Muthwill*; quamvis alio sensu. *Tenzelium Seckendorfi* opus continuare posse, puto; illo præsertim vivo adhuc; sed suis sumptibus vivere nequit. Quis ergo illos suppeditabit? Plura addere festinatio Domini Nicolai Langii (*F. S. Agentens*) non permittit. Igitur finio, teque optimè & diutissimè valere jubeo. *Francos. d. 25. Jan. 1692.*

X.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Consilia de originibus linguarum investigandis exponit: & de Peterfenii novationibus in Theologia.

MUltum tibi & pro insigni munere debeo, & pro literis, rerum pulcherrimarum plenis, quibus me multa doces. Speraveram ipsum commentarium Æthiopicum legere, intentiore studio, atque in eam rem seposui dudum inter agenda; sed districtissimo nondum licuit satisfacere toti curiositati meæ: fiet tamen primo otio & dabitur a me opera, ut insignis beneficium tuum, impari quidem, aliquo saltem redhōstimento agnoscat. Quæ de *Dudaïm* & de *Pistaciis* a *Jacobo* Patriarcha in Ægyptum dono missis habes, præclara sunt, ut tua omnia. Gaudeo Hottentoticæ linguæ specimen ad te missum esse: etsi enim abrupta a vicinis linguis non agnoscat, non dubito tamen, quin aliquando futura sit notior. Itaque etiam atque etiam cogitandum censeo, per amicos, quos toto orbe habes, ut aliarum quoque Africæ illius abditæ, litoralium pariter ac mediterraneanarum linguarum ad te perveniant specimina. Et consultissimum erit, dominicam orationem unaquaque lingua exprimi, ut habeamus communem mensuram comparationis. (1) In eandem quæso curam & in Asia aliisque terrarum locis incumbere. Inprimis vellem nosse, quomodo in linguis hæcenus ignotis enuncietur *Pater*. Nam in plerisque exploratoris orbis reducitur vel ad *Abba* vel ad *Atta*. Scripsi ego ad R. P. *Kochanski*, Serenissimi Poloniæ Regis Mathematicum, ut curet aliquid ad nos pervenire de linguis Scythiæ interioris. Retulit ad Regem, cujus Majestatis rem sua cura non indignam judicavit. Scis *Busbequio* auctore, superesse in Taurica vestigia Gothorum Germanorum. In Iuhra Hungaricæ reliquias esse, *Mechovius* scripsit. (m) Ipse *Kochanskius* memorat Jesuitam quendam Hungarum, captum a Tartaris & ad Caspium mare delatum, patrium idioma agnovisse. Vagina gentium Scythia est, unde Germanos quoque nostros in has terras egressos credibile est. De Scandinavia valde hæreo, an *Rudbekii* quamquam doctissimi atque ingeniosissimi viri sententia admitti possit. Nescio an unquam Gothi fuerint in Scandinavia, nec satis persuadeor testimonio *Jornandis*. Certè *Ulphila*, quæ creditur versio longè mihi deesse videtur a Scandinaviæ dialecto: hanc enim potiùs Anglo-Saxonica convenire agnosco. Migrationes olim non facillè fiebant mari.

Tom. VI.

O

Et

(1) Vide quæ supra monuimus Not. (a).

(m) De Sarmatia Asiatica & Europæa, in *Pistorii* Script. rer. Pol. T. I. p. 150.

Et credibilis est, Germanos olim paulatim se diffudisse in Scandinaviam ad instar inundationis, quæ postremum objectu altioris loci terminum invenit. Itaque Germanicæ linguæ sese extendenti finem imposuit *Bodnicus sinus*, ita ut Suecia sit velut in extrema fimbria Germaniæ. Ultra *Fenni* jam *Tacita* non minùs, quàm sæculo nostro. (n) Illud tamen non absurdum est, remissas ex Scandinavia in Germaniam colonias, ipsosque Saxones Scandinavicæ originis esse. Tecum sentio, innumera esse Germanica consentientia peregrinis, non ideo peregrina, scilicet ex eodem omnia fonte. Et frustra *Cæsiani* nostri id agunt, ut linguæ nostræ detrahant fenestram, *Fenster*, aliaque id genus, etiamsi hujus facillè credam cum nomine rem ad nos pervenisse. Sed dudum Germana civitate donata hæc vox est. Suffecerit studium frugiferum in eo collocari, ut exsulent, quæ improvidè inferuntur peregrina, suppetentibus domesticis atque paulatim introductis aliquando commodis phrasibus vocibusque suppleantur reliqui linguæ defectus. Ad linguæ nostræ perfectam notitiam opus foret dialectos quoque provinciarum Germaniæ cognosci vocesque proprias notari. Ignorabam ego, quid esset *Schalten*, *Schaltjahr*, cum nuper aliquis ex vicino Argentoratensibus Hanoviensi tractu forte appellans *einen Schalter*, quod nos vocamus *ein Schubfenster*, & Saxones superiores Lipsiæ, *ein Schoeffgen*, excitavit curiositatem, ut quærerem, quid hoc monstri esset *Schalter*. Tum ille me docuit, *schalten* in illis oris esse *fortrücken*, *rücken*, propellere aliquid; quemadmodum si dolium in terra jacens promoveamus. Inde agnoscere mihi visus sum, unde esset *Schaltjahr*, nempe ab *Embellimo*, *vom einrücken*, oder *rücken*. Voces & phrasæ quibusdam Angliæ provinciis peculiare notavit *Ræus*. *Grimaldus* Jesuita, ad Mandarinatum & præfecturam supremam rei mathematicæ apud Sinas, mortuo *Verbieffo* successore destinatus, cui aliquoties Romæ locutus sum, nunc erit credo in Persis, quemadmodum colligo ex Kochanskianis literis, & Rex Poloniæ commendatitias illuc missurus erat ad Regem Persarum, ut iter ipsi terrestre ex Persia per Usbecenses in Sinas aperiatur. Itaque scripsi ad eum literas, rogaviq; *Kochanskium*, ut si liceret, cum Regis commendatitiis transmitterentur, hortatusque sum *Grimaldum*, ut in populorum per quos transit situs & linguas curatius inquirere vellet. Ex ipso dedimus, etiam Sinensibus Tartaris *Morab* esse equam. Jam *Mahre* etiam Germanis nostris & Britannis Anglicè atque Aremoricè equus est, ut intelligas eandem fere vocem ab extremo oriente ad occidentalem oceanum

(n) Fennorum lingua a Germanica toto cælo differt, magisque convenire videtur Laponicæ. Ceterum nescio an rem acu tetigerit Fabianus Toerner qui Olavi Rudbeckii sententiam secutus, in *diff. de Origine ac religione Fennorum Upsaliæ 1728. edita*,

Fennos, Esthones & Lapones, Israelitarum colonias esse affirmat. Indicasse hoc sufficiat. Nam in asserti veritatem curatius inquirere tam instituti ratio, quàm linguarum istarum ignorantia nos prohibet.

num penetrasse. Non dubito, quin multa sint apud nos, quæ Septentrionales linguas illustrent, & multa apud ipsos, quæ nostram vicissim. Quid de *Bernardi* cogitationibus circa Britannicæ linguæ origines judicas? Fateor non inutiliter Slavonicam, Germanicam & Aremoricam conferri, addique etiam Esthonicam. Comperi Vinidos Luneburgenses aliquid Esthonicum subinde admistum habere. An durat tibi cum *Bernardo* commercium literarium? Est certè in illo viro eruditio rara & latè fusa.

Multa alibi jactari videor, de rebus nostris ecclesiasticis; sed malè compta. *Peterfenius* Superintendens antea Luneburgensis, mea sententia simplex magis, quàm malus vir, est dimissus quòd mandatis non satis paruisset. Welferbytani aliquot ecclesiastæ dimissionem ultro petiere, nec ideo hæretici habentur, sed *Meyerus* præposituram Schoningensem; alter *Luderus* professionem in academia illustri, tertius *Neusius* etiam concionatoris munus retinuit, translatus Hedwigiburgum; satis scilicet habuit aula, mutatione occurrere gliscentibus novitatibus & vulgi vocibus; ut omnia ad priorem formam redirent. *Asseburgiæ* virginis notissima mihi sunt responsa, & ipsa legi quorundam originalia. Iniquè faciunt, qui eam profcindunt injuriis; impudenter, qui ex immediata quadam revelatione *Προβιδαντων* arbitrantur. Ego puto, quòd in quibusdam miseris mulierculis, sagarum crimine informatis, præstat mala educatio, ut habeant absurdis & horrendis somniis perturbatam mentem, ejus contrarium in virgine bene nata & bene educata fieri posse. Neque aliud, credo, mysterium in visionibus ejus pariter ac *Brigitte* olim & similibus quærendum est. Injuriam faciunt *Peterfenio*, qui ab ipso ad talia jactanda seductam & subornatam arbitrantur.

Accipio literas ab optimo *Justello* Londini 25. Martii datas. Queritur de valetudine infirma. Scribit *Boylium* reliquissè legatum quinquaginta librarum, habendis in posterum concionibus in Atheos, Deistas, Socinianos, aliosque id genus homines. Vale & mihi favere perge, qui semper futurus sum, omni cultu & obsequio tuus. *Hanov. d. 17. April. 1692.*

P. S. Si quid jubes, quæso mihi inscribendas dirige *Cassellas à Monsieur Haes Archivaire & Secrétaire des Commandemens de S. A. S. à Cassel.* Ad quem sufficit pervenire sub simplici involucro.

XI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Ad priores Leibnitio respondet, & de fructibus, quos pro Dudaim veterum Hebræorum habet, ex Asia ad se missis eum certiores reddit.

TAndem diu expectatæ literæ tuæ advenerunt, ex quibus gratum intellectu fuit, quòd commentarium meum Æthiopicum acceperis; quem si horis succisivis perlegeris atque monenda notaveris & ad me retuleris, rem mihi facies gratissimam. Dudum feci, quod scribis, ut quantum fieri possit, totius orbis linguarum specimina colligam; Africæ præsertim, quæ plures in sinu suo nationes & linguas continet, quàm ceteræ orbis partes. Insignis *Nicolaus Wusius* Consul Amstelodamensis operam suam in eo mihi pollicitus est, measque literas ad Gubernatorem generalem Hollandorum in India, quem eruditus favere dixerat, promovit. Orationes Dominicæ centum fere linguis *Ludekenio*, obstetricante *Andrea Mullero*, *Greiffenhagenio*, editas, aliquot hucusque ineditis auxi. Si quid rari ulterius obtinuerò, tecum communicabo. Nossè vis quomodo in linguis hucusque ignotis enuncietur *Pater*. Peculiare additamentum ad orationes dominicæ modo dictas *Mullerus* (cur aliud nomen operi suo præposuerit, nescio) de hoc vocabulo fecit p. 62. Impressus est liber *Berolini A. 1680. ex officina Rungiana*. Novem schedarum libellus in *Quarto* ut vocant, sed tamen thalero venit, quia aliquot peregrini characteres tabulis æneis sunt impressi. Curiositati tuæ satisfaciet, quamvis multa sint, quæ monere potuissèm, si me tempestivè consulere voluisset. Ceterum ut rariora mea tecum, singulari videlicet amico communicem, accepi his diebus Chalybone fructus Palæ, Arienas nempe, Arabibus \int \int *Muzas*; præcis Hebræis *Dudaim*, sed aceto conditas acerrimo, ut esui non sint, simillimas imagini in *Historia* mea expressæ, quibus descriptiones auctorum verissimas nunc deprehendo. Accepi quoque ~~Botme~~ *Botme*, seu fructus *Terebinthi*; sunt velut *Pistacia* parva, atque hoc ipsum vocabulum habet Arabicus interpres. Hinc patet causa, cur septuaginta interpretes Hebraicum טריטריט reddiderint *Terebinthos* & illorum exemplo *Vulgata Terebinthum*. Arborea enim sunt congeneres, atque inter se similes. Nucleos nonnullos hic adjicere volui, sed sapor eorum affluente aceto corruptus. Donum verò quod *Jacob* misit, revera fuerunt *Pistacia*: nam *Datteln*, palmule esset noctuas Athenas. Quandoquidem verò tantus linguarum studiosus es, lege quæso *Commentarii mei lib. I. cap. 15. nu. CXI.* tumque mihi iudicium de eo expone, cum primis de loco *Plinii §. 14.* cujus emendatio, quia a me pri-

primùm est inventa, assensum eruditorum expectat: mihi enim ipsi minimum fido. Ad nomen *Patris* redeo. Verum est, quod scribis, communissima nomina esse *Abba* & *Atta*. In Suecia & Helvetia auditur adhuc *Aette*. Hinc scimus, quid sit *Attelich*, & ut hodie pronunciamus *Adelich*, *Attalbertus*, *Adelwert*, i. e. *Nobilis vir*. Hinc per apocopen factum *Adel*, sicut ex *גדל גדל* *Bretana*, regio stanni, *Britannia*, *Britannus* & similia. Quandoquidem tibi amicitia cum *P. Kochanskio* Sereniss. Regis Poloniae mathematico est, & jam de linguis Scythiae interioris ad eum scripsisti, roga illum quæso, ut ex captivis Tartaris & quidem peritioribus sciscitetur, num *Nanguiensis*, *Circassiensis*, *Dagestani*, *Casanenses* & *Astracanenses* Tartari eadem dialecto ac *Precopenses* utantur, & quousque illa valeat. Locum *Busbequii* in *Epist. IV.* de gente quadam Saxonica in *Taurica Chersoneso*, bene noveram. Cùm *Tartaricus* legatus anno 1650. in Suecia esset, quem sæpius frequentavi, illumque ejusque socios & famulos omnes diligenter interrogavi, num de tali gente, ejusque lingua & moribus a *Tartaricis* diversis aliquid scirent; constanter omnes negaverunt. Operæ pretium foret & hæc *Kochanskio* proponere, num ille fortassis ex captivis cognoscere possit, num talis gens adhuc hodie supersit. *Jesuita Hungarus* ad *Caspium* mare delatus, specialiter indicare debebat loca, ubi patrium idioma reperit. *Vagina gentium Scythia* esto; sed inde non sequitur, majores nostros inde egressos. Si *Orientem* nempe *Mesopotamiam* & adjacentes regiones primorum hominum patriam credimus, colonias inde proxima via, non per ambages *Ponti Euxini*, in has *Septentrionis* regiones pervenisse asserendum est, mox multitudine hominum aucta, in meridiem regressos, loca, quæ potuerint, recuperavisse. Cùm enim omnes inter se pares essent, atque cùm per ætatem liceret, connubiis jungerentur, reputa, quæso, multiplicatione facta, quantus hominum numerus duobus vel tribus sæculis prodire poterit. Sic nihil absurdi erit, primis post diluvium sæculis *Japheticas* nationes è *Germania* & *Holsatia* in *Daniam*, & *Scandinaviam*, rursusque ex illis regionibus per australiores regiones diffusas, assumpto *Gothorum* nomine, uti nostri *Francorum*. Quoad studium frugiferum, gaudeo te ejusdem mecum sententiæ esse. Velim & ego, ut aliquis dialectorum *Germaniæ* gnarus, nobis *Glossarium* ederet, ex quo vetera exponi possent, veluti *Schaltjahr*, de cujus expositione mihi gratulor. *Charwoche*, *Schaecher*, *Ostern* & similia. Cùm vulgarentur primò, procul dubio significativa erant. Scio quomodo alii exponant, de quibus alias. Si *Grimaldus* literis tuis respondeat, noli me illas celare. *Mare pro equo*, antiquissimum *Germanorum* vocabulum est: hinc *Mareschalk*, *Equorum servus*; sed ad dignitatem præfecti stabuli erectum est hoc vocabulum, & mox ad alia. Nuper admodum accepi epistolam a *Bernardo Oxoniensi*. Is *Josephum* rursus illustrandum suscepit. Sed plura proximè. Charta nunc plena est. Vale. *Frankfurti* d. 16. Junii A. 1692.

XII.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

A Ludolfo in Historia Æthiopica tradita probat & vel de Originibus vel coloniis Germanorum ex philologia investigandis, quedam monet.

CUM nuper breve iter facerem, comitem assumi *Commentarium tuum*, non facundum minùs, quàm jucundum; sed nec utilem minùs. Quanti enim esse putas, noscere nos penitus ingens in Africa interiore imperium idque Christianum & consilia viresque si sciremus nostris juncturum in communem hostem *Mubammedem*? Porro tot loca sacrae scripturae aliorumque scriptorum veterum illustrari genuinusque sensus erui, ipsis septuaginta interpretibus non satis cognitos, quis non magni faciat? Evolvisti egregiè homonymias quæ in Æthiopum & Indorum appellatione latebant, eaque re difficultates maximas discussisti. Coturnices olim & ipse credideram, quas ingenti copia ad sinum Arabicum & in Ægypti vicinia reperiri non *Iosephus* tantùm, sed & *Diodorus Siculus* & *Plinius* asseveraverant. Sed tantum rationum pondera prævaluerunt, atque illud præsertim extorsit assensum, quod ingens cumulus superincumbentium sibi, non coturnicibus conveniat, sed locustis. Rectè judicas, in *Dioscuriade Cholithorum* 300. linguarum homines colligere, nimium videri. Auctorum *Strabonis* & *Plinii*, an libroriorum error sit? equidem non satis dixerim, & ambos corrigere plus est, quàm unum emendare, nisi dicamus, *Plinium* ex *Strabone* suum numerum transcripsisse, & corrupto jam tum loco usum.

Fateor *Megiserum* nimium multiplicare linguas; interim non malè dialectorum quoque habuit rationem, idemque vellem facere passim eruditos in Germania. (o) *Theaurum polyglottum* magni facio, ob colligendi laborem exhaustum, mirorque unde illi omnia, quæ cumulavit. Gaudeo quòd de linguarum speciminibus colligendis tu quoque cogitas, præsertim ex Africa. In eo instituto perge quæso, & cura tibi quàm plurimas afferri orationes Dominicas. Tentabo ego, quid ex Septentrione favore *Kochanskii* & jussu ipsius *Sarmatiæ Europææ* Regis obtineri queat. Rescripsit enim *Kochanskius*, daturum se operam, ut *Moscua* pariter & aliunde afferantur, quæ possunt haberi: scripsisse ad Residentem Polonicum apud Moschos, &

meas

(o) *Exemplum aliis imitandum dedit Mich. Richey V. C. in opere præclaro, ac insignis industriæ documento, cui titulus: Adioyon Hamburgense, oder Wörterbuch*

zur Erklärung der eigenen in und um Hamburg gebräuchlichen Niedersächsischen Mundart, quod hoc ipso anno auctius prodit Hamburgi.

meas *Grimaldo* destinatas misisse ad Persas. Jam dudum scripsi *Kochanskio* optare me nosse an in Taurica Cherfonneso supersint Gothi vel Germani, quos memorat *Busbequius*; fuisse non ita olim, non est dubium. Nam & *Rubruquius*, quem *Ludovicus Sanctus* Rex Galliarum miserat ad Tartaros, illic suo tempore plurimos Germanicæ linguæ homines fuisse asseverat. An hodie deleti sint, an in montanis reliquiis tueantur, non dixerim. *Rubruquius* idem videtur nobis veram Hungarorum in Scythia sedem indicare trans Volgam scilicet, non procul a Caspio mari, vocat magnam Hungariam. Ego plurimum tribuo hujus viri auctoritati; nam & ipse transit per illas gentes & consentientia admodum loquitur, tum inter se, tum aliorum narratis fide dignis. Multosque apud Tartaros vidit Hungaros captivos, ut ait ipse, quorum judicio videtur rem cognovisse. Hæc jam Jesuitæ Hungari narratio confirmat. Paulo ante *Rubruquium* advenerant Tartari in illas oras, ubi antea habitabant Cumani & Alani, quos videtur subinde pro iisdem habere. Et crediderim fuisse Hunnicas gentes, quæ Germanis Gothis successere. Nam ibi habitasse Gothos, antequam ab Hunnis pellerentur, veteres dubitare nos non sinunt. Et cum in iisdem sedibus paulo ante locentur Getæ, ubi mox Gothi, credibilius est, eosdem fuisse; licet aliquando nomen Getarum latius porrigatur. Ex Scandinavia autem venisse ad Pontum, ita ut *Jornandes* memorat, non credo. Res distinctione multa indiget, ut concilientur salventurque omnia. Non satis intelligo, quo alio quam per Scythiam itinere Germanos venisse velis. Ex Asia petendos, convenit inter nos. Malim autem terrestri itinere venisse, quam maritimo, atque ibi traducere, ubi vestigia reliquere & veterum testimonia favent, & Gothicarum, Hunnicarum, Slavicarum, Hungaricarum, Tartaricarum migrationum exempla habentur, quam per Asiam minorem, sine argumento. Nisi quod tibi suppetat, cujus auctoritati, cum in omni studiorum genere, tum maxime in rebus populorum cognoscendis, plurimum defero. Adde plurimum Germanici in Persico; Persi autem vel Parthi Scythica gens. Video *Bernardum* contemnere hæc vestigia apud Persas. Ego non item. Quæso, quando tibi cum insigni viro notitia est, hortare eum, & tuis & meis verbis, ut in linguarum harmonia illustranda pergat. Maximas gratias ago, quod non tantum audire me therebinthi fructus, sed etiam gustare voluisti: specimina quæso ignotarum linguarum, quæ habes, communica, & porro vale & fave. *Hanov. d. 25. Jul. 1692.*

P. S. Magno meo dolore vidi, deesse in opere tuo promissum Alphabetum universale. Ede quæso, vel separatum, ut quam primum fruamur tam utili invento.

XIII.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Plinii & Ciceronis duo loca emendat. De migrationibus gentium Asiaticarum in Europam & denique de novis politicis agit.

EX literis tuis 25. Julii ad me datis, lubens intellexi te commentarium meum perlustrasse atque in eo multa probasse. Cum ergo significaveris quæ placuerint; indica, quæso, etiam, quæ displicuerint: sicut enim alterum me tranquillavit, ita alterum reddet meliorem. Plinium ex Strabone mendosum locum CCC. dissimilium linguarum transcripsisse arbitror, & si decem alii scripsissent, non credidissem. Plinii opus pro perfecto & absoluto habere non possum, uti monui in Commentario meo I. c. 8. nu. 68. §. II. & ibi not. Si vixisset, multa emendasset & in melius mutasset. Sæpe mihi quidem mendas corrigenti objicitur, manuscripta consentire & omnes editiones & auctores. Id ego parvi pendo, si emendatio luce meridiana clarior sit. Exempli gratia: in Ciceronis libello de Senectute legitur vulgo: *Omitto vim ipsam omnium, quæ generantur e terra; quæ ex fici tantulo grano aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum aut stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreet.* Correxerit ego *ex acini vinaceo*: id enim & meliorem constructionem totius periodi, & sensum, & genuinam vocabulorum significationem poscere. Vinaceum enim substantivum non adjectivum esse; quamvis omnes Lexicographi mendoso hoc loco freti secus sentiant. Sed responsum mihi fuit, libros omnes consentire. Ita plerumque non attenditur, quid dicatur, sed quot dicant. Quare *Megiseri* thesaurus polyglottus mihi parum satisfaciat in commentario meo indicavi. Quæ ad *Kochanskium* scripsisti summopere me delectarunt. Responsum si acceperis communica quæso mecum. Egregia quoque sunt, quæ de migrationibus gentium Asiaticarum doces. Germanos nostros terrestri itinere ex Oriente in Asiam minorem venisse mihi huc usque probabilius visum, quam per tot ambages circa Pontum Euxinum. Si tamen veterum testimonia, ut ais, dentur, quæ a te expeto, libentius tecum credam, illuc transisse, ubi vestigia linguæ suæ reliquerunt, velut in Parthia vel Taurica Chersoneso. Verisimilius enim est, gentes quæ Germanica retinent vocabula, reliquias, non colonias esse majorum nostrorum. Quid de Germanis Transylvaniæ sentias, scire velim, an pro reliquiis vel colonia popularium nostrorum habeas? Certè coloniam Hamelenensium puerorum non credis. *Bernardum* ut petiisti hortabor, ut in harmonia linguarum pergat. Alphabetum universale, quod paro, nemo suis sumtibus ari incidere vult: igitur ab elaboratione ejus destiti. *Thule-*
marius

marius huc redux, ait te quærere æripictorem. Est hic Antwerpiensis paulo simplicior & ferè otiosus, mihi familiariter notus. Figuram tituli commentarii, viperam & Troglodytas (Hotentotios) ille æri incidit, illumque æquis conditionibus haberi posse crediderim. Procul dubio vidisti Tabulam Tartariæ magnam, sex schedis majoribus constantem ab insigni & experientissimo viro *Nicolao Witzio* Consule Amstelodamensi editam. Ibi regiones & gentes ad hunc diem incognitæ visuntur.

De republica nihil habeo, quod non etiam aliunde tibi constet. Exercitus noster integer Rhenum transit. Spiram versus tendunt; quo consilio, quoque ulterius ignoratur. Convenerunt tandem Principes de imperio, opera Comitis *Ludovici Gustavi de Hobenlohe* Commissarii Cæsarei, ad id mandatum habentis. Itaque meliores nunc successus speramus: Galli enim cedunt. Vires nobis non desunt: consilia deficiunt; veluti corpus sumus, quod sine anima immobile hæret. Cùm *Schoningium* (p) cogito, venerunt mihi in mentem verba *Ciceronis* in tractatu supra allegato: *nullam capitaliorem pestem esse quàm corporis voluptatem, cujus voluptatis avidæ libidines ad potiundum incitarentur. Hinc patria proditio: hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia; nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum libido voluptatis non impelleret.* Vale. *Francof. d. 27. Aug. 1692.*

XIV.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

De noni Electoratus erectione. Cur collectionem diplomatum a se adornatam, Juris Gentium Codicem diplomaticum inscripserit? De Rege Belli marini. Denique de Glossario dialecti Saxonie inferioris condendo.

Causa cur de nono Electoratu cogitatum sit, in proclivi est, dum scilicet veteres periclitantur, nec jam amplius ut olim in medio sed in finibus Imperii sunt positi. Hæc verò tibi in aurem. Nolim ego istis controversiis misceri injussus. Certè vereor, ne denique necessitas nos adigat ad plures adhuc Electoratus condendos, ne aliquando Gallia in collegio Electorali prædominetur sua ad Rhenum potentia. Itaque miror, cur quæ dixeram in hanc rem mira tibi fuerint visa.

Censuram tui similium usque adeo non defugio, ut etiam expetam. Itaque

Tom. VI.

P

quod

(p) Intelligit procul dubio, *Joannem Adamum de Schoening* Serenissimi Principis Electoris Saxonici exercitus Ducem suæ premum, de quo conf. *Gauhii Adels-Lexi* P. II. p. 1052. sqq.

quod monuisti de titulo operis mihi ipsi suboluit maturè. Itaque non amplius *juris gentium* codicem simpliciter inscripsi, sed *diplomaticum*: quid igitur aliud quàm codicem, continentem diplomata *juris gentium*? Nam ad *juris gentium* pertinere non negabis actus juridicos seu legitimos, qui & dijudicandi sunt ex *jure gentium*, & vicissim faciunt ad controversias *juris hujus* illustrandas, imo definiendas. Ut ad Europæas gentes restringerem, necessarium, puto, non erat. Nam si qua mihi possis communicare Africana, velut si genuinum esset testamentum *Muhammedis*, quid vetabit & hæc addi? Sed quando talia aut rarissima aut nulla habemus, sufficit diplomatum mentio, ut de Europæis potissimum agi judicetur. *Rex Belli marini de Baleari* intelligi non potest. Certum, fuisse Regem Mahumetanum. Illud nondum certum est, in Africa fuerit, an in ipsius Hispaniæ parte quadam. Credo in Hispanica historia ejus mentionem repertum iri. Reperi & in quodam Chronico manuscripto historiæ Anglicæ, & in præfatione notavi. Itaque non est, cur locum corruptum putemus. Sanè potentem fuisse apparet: quo libentiùs in Africa colloco, quod & verba tractatus, ubi ejus mentio habetur, innuere videntur. *Baleares marinas* nescio an quisquam facilè sit dicturus: nam quæ aliæ, quam *marinæ*? Cæterum tum *Baleares insulæ* jam Christianæ erant. His nundinis Brunsvicensibus interero, & certiora discam de Manuscripto Æthiopico. *Gerardus Meierus*, Theologus Bremensis, *Gerardi* senioris, adhuc superstitis, qui Bibliothecam theologicam dedit, filius, multiplicis vir doctrinæ, meo hortatu curam sibi sumsit, condendi glossarii hujus Saxonix, (q) simulque ex Belgio, Anglia, veteraque Anglo-Saxonum lingua subsidia quæret. Cùm *Kiliani* Belgicum dictionarium, quale ab auctore datum est, non quale mutilatum vulgo habetur, in usum scholasticæ juventutis, reperire non posset; ego ipsi misi, quemadmodum & indicavi *Nathan. Chytrai* Nomenclatorem Latinum, linguæ Saxonix inferioris instructum, & *Gemmam gemmarum*, initio superioris sæculi editam Colonix, cum Latinarum vocum interpretatione Germanica, dialecti Westphalicæ. *Francof. d. 10. Sept. 1692.*

(q) *Gerh. Meieri* Glossarium Saxonicum prelo paratum, unà cum aliis ejusdem auctoris manuscriptis, hodie possidet Vir S. R. *Frid. Herm. Schumacherus*, S. S. Theologiæ apud Bremenies doctor. Unam luce

publicâ donaretur hic plurium annorum labor! quem ea omnino dignissimum judicant eruditi, quibus illum inspiciendi copia facta est.

XV.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De nono Electoratu & rebus quibusdam ad rem literariam spectantibus.

Gratias permagnas tibi ago, quòd me de bibliotheca privata Serenissimi *Rudolfi Augusti* certiozem reddere volueris, modò circumstantias quasdam singulares addidisses, quas scire aveo. Ubinam locata sit illa bibliotheca? Ubinam habitet *Georgius Henricus Pfeiffer*, qui se concionatorem & bibliothecarium fert? Si copia tibi detur illum adeundi, rogo ut tibi monstrari cures librum Æthiopicè tantum manuscriptum pulchrè compactum, & indicari, quanti emtus fuerit? Ubi, quæso, haberi potest index trium in octavo voluminum, cujus mentionem fecisti? Illum enim mihi libentissimè compararem. Ignosce, quæso, quòd moneam, ne chartæ parcas, dum ad me scribis, ne necesse habeas coarctandi versus & verba, quæ celeritatem legendi in tanta literarum copia impediunt. Nihilo minus me solvere oportet pro mercede tabellarii, quàm si integra scheda impenderetur. Sed & huic mercedi parcere possumus, si literæ in fasciculum publicum ad *Agentem*, ut vocant, *Prim* immittantur, si benevolos habeamus Secretarios, qui id libenter faciant. Laudo quòd *Nesslio* res suas relinquant, quia tibi alia affatim suppetunt. Nonne consultum putares, etiam *Wilhelmum Ernestum Tenzelium* sollicitare? ille enim varias bibliothecas scrutatur, & varios tractatus terit, ut si quid repererit, quod e re tua fuerit, id maturè indicet. Rationem quam de condendo nono Electoratu docuisti, antehac non audieram nec legeram. Ita certè comparata est, ut non tantum decimum Electoratum, sed & undecimum & duodecimum parare possit, -ut in posterum in rebus Imperii non opus sit expectare deliberationes prolixas cæterorum collegiorum, sed quidquid Imperator cum Electoribus, & quidem secundum majora statuerit, sequi teneamur. Hac ratione omnes cunctationes & moræ, quæ nobis ab exteris exprobrantur, tolli poterunt. Fama fert, Imperatorem, modò belli ratio id permittat, Augustam Vindelicorum profecturum, eoque omnes Electores ad se vocaturum, & non tantum nonum Electoratum pro domo sua impetraturum, quandoquidem in possessione jam sit, per majora ut vocant, talia conficiendi. *Aristoteles* quidem dixit: boni civis esse, τὴν παρῶσαν πολιτείαν διαφυλάττειν, præsentem reipublicæ statum conservare. Verùm ille fuit theoreticus & scholasticus. *Pedant* vocant, qui non perpendit, reipublicæ statum & formam a potentioribus mutari solere, quotiescunque illis utile visum fuerit. Dn. *Thulemarius* hinc discessit, nescio quorsum: si redierit, me-

nebo, ut operam det, quo bullam electionis equitum *S. Georgii* nanciscatur. Quæ de Rege *Belli marini* notas, iis omnino assentior. Quod titulum operis tui spectat, facile admitto expositiones tuas. Ego tantum de communi loquendi modo egi, ut cum Codex de aliqua re inscribitur, ille eam rem principaliter docet: hic verò ubi diplomata tantum Principum Europæ traduntur, revera est *Codex diplomatum Europæorum, pro illustrando jure gentium collectus*. Si accesserint Asiatica & Africana, paucis verbis addi potuissent. Verum ista omnia tui arbitrii sunt. Pro exemplo quod mihi destinasti, gratias ago maximas. Appendix operis mei nunc prodiit, continens duas epistolas Regis Æthiopiæ ad Governatorem generalem Batavorum in India, cum responsione istius, quam proximè habebis. Interim vale & fave. *Francos. d. 23. Maii 1693.*

XVI.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De nono Electoratu, & de scribendis variarum in Germania dialectorum indicibus, aliisque literariis.

Literas tuas nondum responsione dispunctas, inter schedas meas mirabundus inveni. Non puto ad nonum Electoratum introducendum hoc argumentum valere, aut a me unquam probatum esse, ut dicamus rerum Imperii summam ad solum Electorum collegium transferri debere, aucto ejus numero. Aliæ adhibendæ sunt rationes temporibus convenientes. Cæterum non puto, e re Cæsaris & Electorum fore, ut nimis augeatur hoc collegium. Vis dicam, quid ego potius metuum? Ne Gallis Rhenum in partem redigentibus, uno ictu media pars Collegii Electoralis rescindatur, & concussis fundamentis ipsum Imperii corpus collabascit. Hæc puto magis curare deberemus, quam de honoribus & ceremoniis litigare. Rectè dicis cum *Aristotele*, boni civis esse, præsentem reipublicæ statum tueri; sed hoc ipsum nisi consiliis efficacibus fieri non potest. Medici est, præsentem corporis statum tueri cum sanus est; emendare cum est morbosus. Puto non opus esse moneri, pleraque diplomata mea Europæa fore, quando id a se quisque intelligit. Quandoquidem cogitationem de illustranda Germaniæ historia suscepimus; & tutè optimè nostri, quantum in linguis momenti situm sit, ad noscendas gentium origines, modò ne in Goropianas aut Rudbeckianas speculationes dilabamur, sed omnia severè & circumspèctè agamus. Ideo nunc opportunum putavi, quod sæpe in mentem venit, conquiri variarum Germaniæ regionum vocabula provincialia. Doctissimus *Præschius* piæ memoriæ, promiserat Bavaricum. Hoc an sit apud hæredes, inqui-

inquisitione dignum putarem. Scripsi ad amicum ut in Frisia de peculiaribus gentis vocabulis conquirendis cogitet. Nomina Frisiorum propria valde a more Germanorum cæterorum abhorrent. Inquirendo deprehendi nostros Vinidos Luneburgicos aliquid Estonici, Slavicæ admistum habere linguæ. Manuscriptorum, imò aliorum ferè monumentorum antiquitatem longè transcendunt. Itaque in vocabulis obsoletis & plebeiis habebimus ingentem thesaurum antiquitatis. Tibi ergo, Vir amplissime, qui præclari historiæ nostræ instituti directionem habes, cogitandum relinquo, an non passim excitandi sint in hanc quærendi diligenter, qui patriis antiquitatibus delectantur. Nullum dubium est, quin & jura Germanica inde illustrari queant & variarum rerum cognitio multum incrementi sit acceptura: quemadmodum ab exemplo antiquitatum Gallicarum *Menagii*, quarum nunc amplior ex posthumis schedis paratur editio, facilè conjectura capi potest. Mirum est, etiam eruditos solere sola remota & peregrina appetere, quæ ægre obtinere possunt; negligere quæ ante pedes sunt, in quibus non minus gloriæ & plus sit fructus. Erat Lipsiæ vir egregiè doctus *Wagnerus* concionator urbis, nuper non sine dolore eorum, quibus cognita erat ejus doctrina, extinctus. Is cogitabat scribere de numis Arfacidarum. (r) Ego significavi, jam occupasse id *Vaillantium*, multo majoribus subsidiis instructum & opus affectum habere. Acturum me tamen cum amicis Gallis, ut intelligerem, malletne sua dare, an aliena, sub conditione agnoscendi publicè beneficii accipere *Vaillantius*. Interim, uti Arface acrior & *Tacito* ipsi Germanorum libertas; ita optare me, ut historiam Germanicam Germanus aliquis ex numis & inscriptionibus Græcis & Romanis illustrare cogitaret, adjectis etiam barbaris numis, qui subinde reperiuntur: quemadmodum memini, memet vidisse, quibus inscriptum *Ataulas. Eggelingius*, vir apud Bremenses egregiè doctus, a Romanis antiquitatibus nunc animum ad illustrandas res patrias convertit, & de Chaucis suis aliquid molitur, (s) cui consilio ego applaudo. Vale.

(r) De *Christ. Wagneri* historiâ Parthorum affecta, certiores nos quoque reddunt *Acta Eruditorum* 1693. p. 383. sq.

(s) Edidit *Jo. Henr. Eggelingius* de miscellaneis Germaniæ antiquitatibus exercitationes V. quarum prima & secunda,

de vocabulo *Germaniæ* & de *Caucis* a. 1694, tertiâ de *Ptolomæi Φαθιραν* a. 1695, quarta & quinta de *Wielibetho*, & *statuis Rulandinis* a. 1700. in lucem prodierunt. vid. *Act. Erud.* 1713. p. 191.

XVII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De impedimentis collegii Imperialis historici; & philologica quaedam nec non nova literaria & politica prodit.

VEniam moræ in respondendo, quam petis, & ego dedi, nunc a te repeto: Negotia atque studia nostra utrumque excusabunt. Nunc enim alteram appendicem ad historiam meam paro, imò ad prelum paratam habeo. In ea de locustis, superiore anno in Germania visis, tracto, auctores qui de illis scripserunt refero, & sæpius emendo, simulque sententiam meam de כנול locustarum specie munda, pro *coturnicibus* deserti substituta, defendo, & objectionibus amici cujusdam docti respondeo, ut ex titulo hic adjecto vides. Si tibi quoque dubia de hoc conjectura nostra suborta, vel ex Viris doctis percepta sint, quaeso, ea me ne celes. Ut autem capita summa literarum tuarum persequar: gratias ago, quòd certiora de bibliotheca Rudolphi ad me scribere volueris. Manuscriptum Æthiopicum, quod quaero, titulum habet: *Organon Denghet. i. e. Organum musicum B. Mariæ Virginis*. Sed illum scire nihil attinet. Scio enim nullum aliud Æthiopicum Manuscriptum in dicta bibliotheca reperiri. A forma externa descripsi, quòd eleganter compactus sit, venditus ab Hamburgensi studio *Schlichting*; quanti, velim scire, & qua forma sit, in Folio vel Quarto, ut vocant.

Collegium nostrum historicum planè friget: pauci sunt, qui gratis laborare velint. Munera, quæ neque spem neque metum propositum habent, tardè & negligenter transiguntur. Id *Paulino* prædixi, cùm mihi Præsidis munus imponeretur. Precibus parum efficio; excusatio quævis sufficit ut nihil agatur. Eam causam esse credo, ut *Adjunctos* mihi similes, id est otiosos nancisci nequeam. Dum autem tu ipse hunc titulum gerere nolis, quaeso, alium mihi nomines, ut saltem umbra collegii nostri subsistat. *Preigitzerum* Tubingensem, nunc Consiliarium Wirtembergensem, procul dubio nosti, virum impigrum, cordatum & historicum egregium. Is primum sæculum Annalium nostrorum elaborandum suscepit, sed partim negotiis heri sui, partim motibus bellicis impeditus fuit, quo minus pensum suum absolveret. Multum quoque temporis circa Imperii vexillum Domui Wirtembergicæ vindicandum impendere illum oportuit. Scilicet de vexillo disputatur, quod nemo usquam in hostem laturus est. Jam occasio id faciendi adesset, sed credo illud nondum paratum, nec apud opifices adhuc esse. Institutum Codicis tui summopere probat, atque de eo sic ad me scripsit, ut ex *adjecta schedula* videre est. Pro exemplari ad me missò, sum-

summas ago habeoque gratias, quas data occasione relaturus sum. De republica differere piget, multo magis de nono & sequentibus Electoratibus: nam evulgato imperii arcano, posse sine omnium Ordinum consensu Electorem fieri, certo certius plures habebimus. Metuere te ais, ne Gallis Rhenum in potestatem redigentibus, uno ictu media pars Collegii Electoralis refecetur: itaque tempestivè totidem, ac refecare metuuntur, e medio Imperii refarciuntur. Sed hæc sunt extra sphæram activitatis nostræ, ut hodie nonnulli loqui amant. Transeamus igitur ad ea, de quibus cum fructu aliquo & consensu agere possumus.

Thulemarus jam Viennæ degit, inde Ratisbonam discessurus: nihil ergo cum eo, de Bulla Equitum *S. Georgii* agere potui. De linguis nonnulla & quidem certiora suppeditare possum. In illis certè magnum momentum positum, ad noscendas gentium, imo rerum & religionum origines. Inter argumenta mea est, *Æthiopes* meos Sabæos origine ex Arabia Felice esse. Glossarium Germanicum diu desideravi. *Meierum* Bibliothecarium Gothanum, seriò hortatus sum, ut confectis jam Catalogis suis, id aggrediaturnum facturus sit, nescio. Necessarium id esse judico. Dantur enim in Bibliis Germanicis vocabula, in Thuringia & Misnia, alibi vero vix usitata, exempli gratia: *Zaube dich: Sie ging über das Gebürge endelich* (englich pronuntiant Thuringi:) *du machest seine Ströbme glum*, & alia similia, quorum copiam apud Thuringos suppeditare possem. Dictionarium Germanicum *Stilerus*, qui se *Serotinum*, *den Spathen* nominat, composuit, in quo multa singularia dantur, multa desiderantur. Quidnam propriè sit *die Streb-Katze ziehen*, nemo dixerit, qui non viderit. Frisiorum lingua dialectus quidem est vernaculæ nostræ, sed paulo remotior. In pagis *Molkwerum* & *Hindelopen* haud procul *Staveren* ipse audi vi eos loquentes dialecto, quam nullus Belga intellexerit. Numerabant enim mihi: *Won; Tu; Try; Faur* cæt. Verbum substantivum *Sum*: *Ei am, tu ast* &c. quæ merè Anglica sunt. Hinc colligebam illos esse reliquias Anglo-Saxonum, vel Angrivariorum priscorum, qui hac lingua usi sunt. Ego quidem hortari non cessabo eum vel eos, qui in eruenda linguarum antiquitate aliquid præstare volent, modo stimulum aliquem, quo desituior, addere possem. Eruditos quosdam sola remota & peregrina appetere mihi mirum non est. Causas enim, quas daturi sunt, faciliè conjicere possum. 1.) Adjumenta in peregrinis rebus magis sunt in promptu: consistunt enim in libris, quos in museo suo conjunctim habere possunt; in antiquitatibus verò Germanicis conquirendis, oporteret eos peragrarè provincias Germaniæ, visitare archiva, & bibliothecas Principum; sed non reperiunt tales promotores, quales tu habuisti, cum perlustrares Germaniam atque Italiam, eruendis antiquitatibus Estensibus. 2.) Credunt & ipsi, se publico multum prodesse, si illi in eo pro bono publico elaborarent, in quibus nullus alius vel pauci, cum in vernaculis & domesticis multi alii idem præstare possint. Vale. *Francof. d. 17 Junii 1694.*

Ex literis Dni Pregizeri, Stuttgartiæ d. XXV. Martii scriptis 1694.

- » Hæc mihi præsentem in diem cura est, haud vulgaris, ut, juxta
 » Wirtembergiæ historiam mihi creditam, res Germaniæ reliquas, &
 » tanti Imperii acta, ex archivo Ducali instructissimo, publicis usibus
 » aliquando pertractem uno labore. Quo in studio succenturiari possum
 » *Leibnitio*, cujus Codici diplomatico primo, ego ex archivo nostro Wir-
 » tembergico, addere possem alterum, refertum actis & documentis,
 » epistolis quoque de fœderibus, legationibus & aliis illustribus Imperii
 » negotiis hæctenus ineditis. Sileo quid temporis vel curæ circa Imperii
 » vexillum mihi cum aliis inter nos impendendum fuerit, &c.

XVIII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Miscella literaria continet.

DIu est, quod nihil ad te dedi, ne crebrius scribendo importunus
 essem. Non eo minus tamen valere te ac florere, & uxorem etiam
 duxisse, lætus intellexi & gratulabundus, feliciaque omnia, sed firmam
 imprimis valetudinem apprecatus. *Andream Mullerum* doctissimum frustra
 virum, *frustra*, inquam, cum neminem doctrinæ hæredem scripserit, obiisse,
 ad te perlatum non dubito. Habui, & ni fallor, communicavi mirabiles
 ejus literas, quibus seriò deliberabat, an non jure merito ulcisci posset,
 ingratitude mundi, sic enim credebat, sua comburendo. Et puto minas
 executum. Inquiri tamen operæ pretium erit, an nihil supersit, quod edi
 mereatur. Tabulas tuas præclarissimas quibus literarum pronunciationes,
 diversis populis receptæ, ad harmoniam revocantur, utinam tandem edere
 velles. Posses una ingenti plagula ære impressa complecti, exemplo *Eduardi
 Bernardi*; sed & possent margines illustrationibus quibusdam stipari. Ob-
 tinere quoque optem animadversiones tuas in catalogum linguarum, quem
 thesauro polyglotto præfixit *Megiserus*: nam mentionem earum aliquando
 fecisti. Æthiopicus ille libellus, de quo aliquando quærebas, nunc in bi-
 bliothecam Augustam Guelferbytanam translatus est. Vellem *Megiserus* in
 suo indice fontes indicasset, unde hausta ipsi specimina linguarum. Peccasse
 puto, quod linguam Circassiorum Gazarorum vel Abgazarorum, Men-
 greliorum ad Sclavonicam refert. Miror, quid sibi velit, cum veterem
 Gallicam vocat *Vibiscam* vel *Vibiscorum*. Dubito etiam, an rectè Thra-
 cicam linguam, hodiernam opinor intelligi, pro lingua sui generis habeat.

Nisi

Nisi forte Bulgarica est: nam Bulgaros peculiare genus linguæ ex Scythia attulisse putem. Sed & dubito, an verum sit, quod ait, Tartaros Zagathaicos linguam habere Persicæ similem. Equidem *P. Aprilis* Jesuita, in nupero itinerario linguam Tartarorum, qui ipsi dicuntur Bogdoi, inter Persas & Sineses, Persicæ cognatam affirmat. Sed nonnulla hujus scriptoris parum accurata, non patiuntur, ut multum ejus testimonio tribuam. Putabam *Salmasii* & aliorum testimonio magnam esse cognationem linguæ Germanicæ & Persicæ; sed cum aliquando Gazophylacium Persicum inspexissem, spe pauciora reperi, quæ faverent. Oportet ergo, cognationem illam magis, ut sæpe fit, in occulto latere, non facilè nisi *Elichmanno* & similibus interiora linguæ doctis apparituram. Quid judicis de egregia, si comprobatur, thesi *Acoluthi*, linguam Ægyptiam veterem eandem esse cum Armena. Hæc audienti mihi venit in mentem, quod veteres quidam narrant, & *Valerius Flaccus* etiam in Argonauticorum poema retulit, Colchos fuisse coloniam Ægyptiorum a Sesostris ductam. An forte Armeniorum illi potius colonia fuere, atque ideo Ægyptiorum linguam referentes, fabulæ originem dedere? Dispicere jam operæ pretium erit, quam habeat cognationem Armena cum Arabica aliisque huic affinis. Nam si Armena lingua Ægypto convenit, rationis est, credere, interpositos populos simili sermone usos, donec ingredientibus aliis nationibus connexio interrumperetur. Implevi ut vides epistolam argumento, quod tibi inter paucos placere potest, plerisque aliis inane videbitur, ut sunt hominum judicia, sed quæ nos magnopere mirari non debemus. Equidem non ignoro, agitari apud vos, quæ propius tangere possint curiositatem nostram; sed ea est reipublicæ facies, ut primam armorum & hostis, satis adhuc formidabilis repellendi curam esse debere arbitrer; proximam componendarum quæstionum, quæ mihi, ut verum fatear, non usque adeo difficiles videntur. Nuntius, qui filium Sultani Imperio dejecti, sceptrum potitum attulit, spem pacis, satis per se longinquam, magis adhuc differre videtur. Nam si bene memini, aliquoties relatum intellexi, ferocem esse, & Christianorum hostem. Sæpe tamen fallunt hujusmodi conjecturæ, & aliquando Principes alii in throno apparere quàm credebantur. Quod superest, vale & fave. *Dabam Hanoveræ d. 21. Mart. 1695.*

P. S. Pene oblitus eram quærere, quid in prosequendo Collegii historici præclaro instituto sit actum. Valde enim optem, non intermori laudabile consilium. Offeruntur mihi quotidie utilia monumenta, unde lux historiæ patriæ accendi potest. Et meditor volumen edere *Accessionum historiarum*, quod complures scriptores ineditos continebit, historiam maximè Germanicam illustrantes, nec multo, opinor, inferius illis futurum, quæ *Pistorius* aut *Urstisius* aut alii viri docti superiore sæculo dederunt. Adjungam ex jam editis *Ditmarum* Martisburgensem Episcopum, quia codicem nactus sum auctiorem & infinitis locis emendatiorem, ita ut vix pagina sit, in qua non vitia quædam sublata sint, quæ editis exemplaribus

plaribus irrepperunt, quorum multa omnem sensum tollunt. Præter hiatus plurimos suppletos, quorum nonnulli sunt aliquot paginarum, & non exigui ad historiam momenti. Speraverat tale exemplar *Reineccius* ex archivo Saxonico; sed frustra. Ita vides, me id agere, ut vestrum egregium institutum juvem; etsi sæculum aliquod, vel aliud certum argumentum in me recipere non ausim, cum vix illis satisfaciam, quæ jubent, quibus in me jus est. Optarem insignis cujusdam jureconsulti notitiam, quem *Helmstadium* vocare è re esset in defuncti *Boettcheri* locum. De *Schiltero* spes aliqua affulsit; sed vereor ne evanescat. Mihi in tanta copia librorum & literatorum videtur tamen numerus virorum solide doctorum, qui famam & habeant & mereantur, multum imminui. Eorum maximè culpa, ut opinor, qui qualescunque non profus, aut certè non palpabiliter ineptos præficere officiis satis habent, nullo ferè delectu præstantiorum. Ita fit, ut nemo ferè sit, qui sese ab humo attollere curet. Puto Dominum *Pregizerum* laboribus suis vestro instituto adhuc subinde inservire posse. Nam de vexillo Imperii disquisitionem dudum absolvit, nisi fortè denuo aggredietur ex quo responsum adversum prodiit. Ego quidem difficile puto ostendere, vel probabilibus argumentis utcunque firmare, Würtembergicum vexillum idem esse cum supremo Bannerio Imperii, olim tamen, cum primùm de officio novi Electoris quæreretur, de alio, ut sic dicam, objecto, majoris fortasse ad usum momenti futuro, cogitaveram; sed Viennæ propositum fuit Bannericum, placuitque *Grotio* nostro, insigni viro, illic tunc versanti, ubi vacare nemo dubitabat. Inventæ meæ, meditataque nonnulla cogito eo producere, si possim, ne pereant. Et nunc absolutum est meum instrumentum arithmeticum, cui nihil simile hactenus visum est, cum planè sit sui generis. Effectus autem est, ut maximæ multiplicationes divisionesque summa celeritate peragi possint, ac sine ulla propemodum attentione, qua ratione puerulus omnis calculi planè expers, imò ne scribere quidem doctus, maximas operationes promptissimè præstabit tutissimeque. *Hanoveræ d. 21. Mart. 1695.*

XIX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De iis quæ in re familiari nova acciderant præfatus, etymologias vocum quarundam Germanicarum explicat, & præter alia literaria, de Andr. Müllero quædam refert.

Quod binis tuis epistolis amantissimis die 6. Augusti superioris & 21. Martii hujus anni tam tardè respondeam, plurima in causa fuerunt. Nuptiæ filiarum mearum, cum Domino *Avemanno* Consiliario Saxo-Gothano, quas

quas meæ mox secutæ sunt, variis, ut fieri solet, occupationibus me detinuerunt. Etenim abscedente filia mea, & res mea familiaris, & domicilium ipsum mutandum erat, ni novo conjugio sustentaretur. Duxi matronam hujus urbis præcipuam, quinquaginta trium annorum, robustæ valetudinis, ut omnibus visâ fuit, mulierem, trium maritorum viduam, quos omnes magna cum laude fovit atque curavit. Idem auxilium in senectute mea de ea speravi, verum, ita volente Deo, quam putavi ægrotanti mihi affessuram, illi ego nunc assidere cogor: jam enim alterum mensem morbo admodum dolorifico lecto affixa detinetur, quem medici non satis cognoscunt: hinc cura varia & ambigua; exitus penes Deum. Quotidiana requiritur cura, ut vix studiis, nedum literis vacare queam. Cùm verò commercium literarum tuarum maximi semper fecerim, momentum temporis surripui, ut tibi respondeam. Quod *Meierum* Bremensem ad concinandum Glossarium linguæ Saxonicæ, variis auctoribus juveris, maxime probo. Utique illum, qui tale quid molitur, Belgicæ & Anglicæ linguæ peritum esse oportet. Addiderim ego Danicam & Suevicam: habemus enim plurima vocabula, quæ non nisi ex illis declarari & exponi queunt. Plurima olim collegi, haud proletaria. *Han* ille, *Hon* illa, in Genitivo *Hennes*, sunt nostra Germanica *Gallus* & *Gallina*. *Elbe* *Albis*, est per se appellativum & significativum. Suecice enim *Elfwæ* flumen est. Quis non putat *Muthwill* compositum esse ex *Muth* & *Wille*; sed malè. *Muth* enim pro *Animo* in compositione postponitur, *Dehmuth*, *Sanstmuth*, *Hochmuth*, &c. At præpositiones præponuntur, veluti *Zusatz*, *Gegensatz*, *Wiederspruch*, &c. Sic *Muthwill* est Suecicum *Mootwill*, a præpositione *Moot*, Contra, Adversus, ac sic *Muthwill* proprie est *Wiederwill*, *Wiederspänigkeit*. Infinita talia in cæteris affinis linguis observavi. *Häven* pro cælo audiavi a Bremensibus, idque est Anglorum *Heaven*. Nostrum *Böswicht* compositum est ex *böfs* & *wight*; at istud in Belgica dialecto occurrit. Neminem novi, qui glossarium Thuringicum vel Misnicum composuerit, quod tamen valde operæ pretium foret. Habemus Gothæ grammaticum senem, lucubratorum veterem, qui bibliothecæ Ducali nunc præest. Ei *Joachimo Bartholomæo Meiero* nomen est, de quo in præcedentibus scripsi, quod illum ad compositionem glossarii Germanici hortatus fuerim, sed quotus quisque est, qui gratis in talibus laborare velit? In statutis hujus urbis, ut & pactis Moguntinis, in nupera contentione evolutis, reperta sunt vocabula, quæ nemo intellexit. Verum est *Horse*, Suecis *Häst*, nobis *Hengst*, Equum, (masculini generis tantum;) Equam verò dici a *Märe*, *eine Märe*, *Stue*, *Stode*.

Grævius nuper ad me scripsit, sed nihil eorum rogavit, quæ ad illustrandas Græcas & Romanas antiquitates pertinere ais. Viri illius, qui adolescente quodam comitatus me invisit, ut scribis, nunc non recordor. Tot enim hic transeunt, qui me invisunt, ut omnium memor esse non possim. Optare te, ais, videre animadversiones meas in catalogum lin-

guarum *Megiserianum*. Nescio quid velis, nisi intelligas censuram, quam in commentario meo *lib. I. c. 15. no. CXI. pag. 113.* edidi, (Quæso totum caput accuratè perlege tuumque iudicium mihi expone) ubi non potui non perfringere (1) *Andream Mullerum*; cum talento suo polyglotto sepultum & defossam, qui orationem dominicam nomine *Thomæ Ludkenii* Berolini edidit, versionibus fere centum, cum vix octoginta tres numerari possint; (2) *Megiserum*, vana multiplicatione delectatum; (3) *Alstedium*, incautum illius imitatore. Si malè cum viris illis actum putes, monere licebit. Sed ego iudicium tuum optaverim de emendatione mea *Plinii & Strabonis*, a nullo, quod sciam, ante me tentata, num calculo tuo eam comprobes? reperitur dicto capite *pag. 112. §. 14. & seqq.* Nunc ad secundam tuam epistolam venio. De modo dicto *Müllero* certo mihi constat, illum porrigente ad petitum uxore, biduo ante mortem, manuscripta sua omnia allato foco combussisse. Sic ingratum orbem ulturus, ingratum erga Deum auctorem tantæ doctrinæ, erga liberos suos, & erga eruditum orbem se præstitit. Acerbis ejus epistolis, aphoristicè & ænigmaticè scriptis, irritatus sæpius, abruptè commercium cum eo literarium. Mille Imperiales pro *clave Sinica* illi a me oblatos sprexit, quod ipsis ejus literis & documentis authenticis probare possum. Jurene dicere potuit, mundum illius scientiam pauci habuisse? Dolendum profectò est, tantam linguarum peritiam in tam heteroclitum caput incidisse. Plura nunc ob temporis angustiam, & negotiorum molem addere non possum, nisi ut te quam rectissimè valere jubeo. *Francofurti die VII. Septembr. A. S. 1695.*

XX.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Etymologias vocum Germanicarum in præcedentibus traditas, præbat.

Literæ Germanicæ tibi cum *Meiero* meo plurimum debebunt, si de juvenando viro bene merituro porrò cogitabis. Scandinavica vocabula & Anglo-Belgica sedulo nostris adjunget. Verum est & elegans quod notas *Han ille, Hon illa, Suecorum*, respondere Germanicis *Galli & Gallinæ* vocabulis. Notavi puer, avium fœminas nobis *Misnensibus Sibas* dici, ut masculus *Hahn*. Itaque *Hahn und Sihe* idem quod *He und Sie. Moet* vel *Mut*, contra, etiam Belgis & Anglis, unde *entmoeten, rencontrer. Heaven* etiam rusticis nostris *coelum*, sed spectabile, non beatorum, quod tamen & Angli comprehendunt. Fac, quæso, ut nobis communicentur vocabula illa difficilia in statutis *Francofurtensibus & pactis Moguntinis* reperta; sed adscribi integras periodos operæ pretium foret. Quo sint loco res institutæ tuis auspiciis historicæ societatis scire aveo. Agnosco hoc aularum

larum frigore & Martis temporibus nihil magni subito præstari posse; præstat tamen lentis ire passibus, sed firmis & rectis, quam præcipitare opus, nimia festinatione. Itaque semper putavi, potius de materia colligenda, quam forma danda, nunc quidem esse cogitandum. Et dictionarium Academiae Gallicæ vix semisæculo absolutum est. Neque ideo minus fundatores sua laus manebit. *Die 16. Novemb. 1695.*

XXI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Uxoris mortem nuntiat, & ad philologiam Germanicam spectantia tradit.

PErgrata mihi fuit compellatio tua per Dominum *de la Bergerie* facta, cujus adventus mihi fuit exoptatissimus, cum ob veterem notitiam, tum ob insignes ejus virtutes. Maxime verò quod de valetudine tua, prospera quæque nuntiaret, quam diuturnam tibi ex animo precor. Me in lugubri statu reperit, ob præmaturum novæ meæ conjugis obitum, quam corpore animoque valentem anno præterito duxeram. Verum ut sunt corpora nostra fragilia, cum aquis Svalbacensibus uteretur, in morbum incidit dolorificum valde, cujus causas plerique ex utero, alii ex calculo renum, alii aliunde ortum esse opinabantur. Accedebat febricula lenta & continua, ut curatio ejus planè redderetur ambigua: complicatos morbos vocabant medici, quibus per XVII. hebdomades conflictata est, donec beata morte illis exsolveretur. Speraveram ejus consortio usque ad finem vitæ frui, ut studiis meis tranquillè vacare possem; at divino Numini aliter visum, cujus voluntati immutabili me acquiescere oportet. Nunc ad literas tuas venio. Gratias permagnas tibi debeo, quòd *Ochsium*, affinem meum, commendatione tua juvare volueris. Mater ejus, secundæ uxoris meæ soror, matrona honestissima, de itinere ejus mecum deliberavit. Cum autem ille hiberno tempore Saxoniam inferiorem perlustrare vellet, planè dissuasi, satius ratus, ut verno tempore istud faceret, propterea illi alioquin mihi percaro, nullas ad te literas dedi. Sed ut nunc audio, Bremam usque excurrit. Deus illum feliciter reducat. Quòd ad excolendam linguam nostram Germanicam, Belgicam & Septentrionales linguas, nec non Anglo-Saxonicam assumendas esse, mecum consentias, placet. *He & Sie* Belgice. *Hy ende Sy* in pueritia mea semper in ore habui, cum Thuringice dicerem *Sessen Hâchen oder en sechen*, masculus vel foemella de aviculis. *Mit glenigen*, quod reperitur in pacto Halberstadiensis, difficile explicatu est, nisi aliquoties reperiatur. Quod Rabbini aiunt de vocibus semel tantum in sacra scriptura repertis, idem de nostris dicere possumus, nimirum difficillimas esse. Mea methodus in talibus est,

ut vocales non curem; deinde literas ejusdem organi inter se permutem, atque hac ratione vocabulum istud legerem *Klingen*, ut accipiatur pro gladiis, ut hodie dicimus: *komme mir vor die Klinge*. Falcibus enim pugnare, extraordinarium; nec fit, nisi in casu necessitatis. Insolitum verò est, pacisci tale quid: ordinaria tantùm paciscimur, vel generaliter loquimur, *mit Gewehr erscheinen*. Ita enim credibile est, Episcopi illius milites planè nullos habuisse gladios, ut falces promittere necessè habuerit. Et ego hic integrum contextum videre maluissem; nam nisi de rusticis loquatur, conjectura de falcibus cadit. *Megiserum* ulterius perstringere non vacat: sufficit me vanitatem & inertiam ejus in confingendis quadringentis linguis ostendisse; plura exempla eruditi facilè reperient. Ne alphabetum meum harmonicum reipublicæ literariæ invidiam, me rogas. Profectò nemini mortalium quidquam rerum mearum invidere soleo. Si perfectum esset, jam dudum publicassem. Verùm alia negotia, longè fructuosiora, impederunt, quo minùs perfecero. Deinde æri incidendum esset, nullum autem novi, qui sumtus in id facere vellet. Sed nescio an mentem meam rectè capias. Latinas literas secundùm variantes sonos variare volui; exempli gratia: aspirationem *rs* H quadruplicem novi: 1.) H simplex. 2.) aspirationem asperam Germanorum, Belgarum & Polonorum *ch*. Arab.

Ç per th vel *τ* vel *h* 3.) Arabum *h* est quasi *h* raucum 4.) *h* Germanorum peculiare post *e*, *i*, & in vocibus *ich*, *mich*, *dich*, *leichen*, *Raich*, *Laich*, quod nulla alia natio, quotquot ego quidem novi, nequidem Helvetii pronuntiare possunt; illi enim dicunt *Reich*, *leich*, cùm dicendum sit *Reih*, *leih*, & ita porrò. Epistolam P. Grimaldi e portu Goano ad te missam, quæso mecum communica. Ego, ni fallor, primus illis auctor fui itineris in Chinam per Russiam suscipiendi; sed non satis cautè rem suam egerunt. Trium mensium spatio sine ullo periculo iter illud fit; sed per Indiam maritimo itinere cogita quantis ambagibus, quantisque periculis sit obnoxium. Sed ego plus satis. Vale. *Francofurti d. 9. Dec. 1695.*

P. S. De Collegio nostro historico quod dicam, vix habeo, adeo omnia frigent. Scilicet nemo ex magnatibus nostris est, qui urgeat, multo minùs, qui obolum impendat. Qui ad nutum alienum laborare debent, sine magno auctore, sine præmio, sunt difficillimi. Multoties id inculcavi illis, qui me Præsidem creaverunt, me vanum monitorem fore. *Pregitzerus* Consiliarius Wirtembergensis, insignis vir, pollicitus nobis est primum sæculum, sed nihil præstat, nec amplius quid respondet ad instantias nostras. Dominus *Otto*, Ulmenis, secundum sæculum *annalium Germanicorum* daturus, historiam Imperatorum Romanorum dedit, quasi illi essent è majoribus Imperatorum nostrorum. Bis terve monitus, nihil curat. Alioquin tuum monitum perplacet, ut nimirum tantùm materia colligatur pro concinnanda aliquando historia. Vocabula ignota in pactis Moguntinis cum hac civitate reperta, proximè accipies. Iterum vale. Dabam ut in literis.

Denique hic habes *historischen Bericht von diesem Collegio, des Paullini.*

XXII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De significato vocabuli obsoleti Glenigen disputat, & de historicis mediæ ævi edendis, amicam certiozem reddit.

Lætus ex literis tuis & plurimum reverendi *Bergerii* narratione intellexi, valere te optimè & mei meminisse. Et tibi & mihi diuturna hæc bona precor. Neque enim exiguo in pretio habeo benevolentiam virorum similibus tui, qui magis magisque rarefcunt. De Domino *Ochſio* vestro diù est, quòd nihil mihi ampliùs auditum est. Fortasse his bachanalibus instantibus ad nos revifet, ut spectaculis *operarum* per aliquot dies fruatur: nam his ferè constant nostræ illæ lætitiæ, solo nomine bacchanales, & quas plebs non capit. Non malè coniecisti, *glenigen* fortè nihil aliud esse, quàm quod hodie vocamus *klingen*. Non tamen a sono dici putandum est, & ex *klingen* corruptum esse *glenigen*; nam contrà puto, quia *Glene* in *Amadiso* Germanico & aliis libris superioris sæculi, armorum genus significat & lanceam videtur indicare in torneamentis. Quid ergo, si omne ferrum nudum sive telum fulgens, sic dictum putemus? cum Anglicum quoque *Gleane* nudationem radicali vocis significato notare videatur. Unde ad demessionem & racemationem adhibitum, quibus terra, ut ita dicam, glabra, *glat*, nuda, æquabilis, & velut *depilis* redditur. Sed de his nemo te rectiùs arbitrabitur. Fortasse *lind*, *glind*, *glanz*, ab eodem fonte Græco-Celta-Scythico. Vocabula prisca Germanica ex *Francofurtenſibus* scripturis excerpta beneficio tuo exspecto. *Megiferi* non tam perstringendi quàm illustrandi causa judicium tuum de nonnullis ejus linguis quæſivi. Literas *Grimaldi* originales ecce mitto, & ut remittas rogo. In eo nunc sum, ut edam nonnullos libellos mediæ ætatis, certè reformatione anteriores, & spero fasciculum aliquem ante nundinas Lipsienses vernas Deo favente proditurum. Mitto ecce titulum unius ex his libellis, qui aliquid affine habet argumento suo cum historia *Procopii* arcana seu anecdota. Accedet quædam *Helmoldi* continuatio & *Engelhusii* & excerpta ex *Ricobaldo* & alia nonnulla. Habeo talia complura, ut facile mihi futurum sit, dare justum iam folio volumen. Sed cum hæc non promissimè vendantur, magis è re putavi edere particulatim, ut bibliopolas consulatur.

Ditmarum habeo multo integriorem edito, in quo manifesti sunt hiatus, quos deprehendo sæpe multarum paginarum, & cum sit scriptor ille magni momenti, fortasse restitutum aliquando edi è re foret. Habeo & vetera chronica Latina inedita, *Hildesiensia*, *Mindensia*, *Verdensia*

&

& historiam *Andree*, Presbyteri Ratisbonensis, aliam planè ab ejus libro de Bavariæ Principibus, qui prodiit. Item libellum quendam *Trihemii* de vita & scriptis propriis, nondum exstantem, quem *Nepiacum* inscripsit. Sed magni inprimis facio insigne chronicon Saxonicum, cujus auctor vixit circa tempora *Lotharii* Saxonis & *Conradi*, mihi Parisiis transmissum, quod non parvam lucem rebus nostris affundit (1). Ita vides, me strenuè laborare in juvando instituto vestro præclaro, in quo vellem omnes meo animo versarentur, id est, magis commodi publici quàm privati respectu. Nam pro his omnibus sat scio, adeo nihil mihi utilitatis expectandum, ut fortasse non parum decedat, fructuosiora minùs affectanti, quàm possem. Audio te versari in scribenda nostri sæculi historia, de quo labore tibi & reipublicæ plurimum gratulor. Facis sapienter, quòd ea agis, quæ simul & fructum & plausum habent. Sed non omnibus contingit, hanc adire Corinthum. Mihi ex Gallia jussu patris *Verjusii* scriptum est, *Grimaldum* tandem Pekinum appulisse & magna regis lætitia fuisse exceptum; sed mox morbo gravi tentatum periculose decubuisse, cum literæ inde darentur ad Europæos. Itaque vereor, ne spes, quas mihi erectus viri genius candorque fecit, in herba pereant. Moscici obstinatè transitum negaverant. Sperandum est, paulatim tractabiliores fore. Utinam sit, qui apud illos agat, quod tu apud Æthiopes! Si tanta Imperii illius moles regeretur ad morem cultioris Europæ, majores inde fructus caperet res Christiana; sed spes est, paulatim evigilatuos. Certè Tzar *Petrus* agnoscit vitia suorum, & vellet barbariem illam paulatim aboleri. Ingenio vivido esse aiunt, sed paulo fervidiore. Audio *Ludolfum* aliquem cognatum tuum, Principis *Georgii* Secretarium, non pœnitenda Moscicarum rerum notitia instructum esse, & nonnulla moliri. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* d. 17. Jan. 1696.

XXIII.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

De originibus vocum Germanicarum investigandis; de historia sæculi ad formam Thuani scribenda; de rebus Christianorum apud Sinas; & de conspiratione in Anglia, detecta.

GRatias ago pro excerpto faciente ad Germanicæ linguæ antiquitates. Si *Glene* idem quod *Gleve*, foret a *Glaive*, id est, gladio: itaque significatus magis consentiret *glenigen*, *klingen*. Quid *Margzabl* nondum fatis

(1) Scripta hæc, vel ab ipso Leibnitio, in Corpore historicorum mediæ ævi, publici juris facta sunt. in Accessionibus historicis & inter Brunsvicensium rerum scriptores, vel ab Eccardo,

fatis intelligo, an vocis origo a nudinis vestris? Vellem talia erui ex archivis, quibus non lingua tantum illustraretur, sed & ritus veteres, & historia, & jura Germaniæ. Dominus *Thulemaris*, qui gratias pro suppeditatis circa *78 Glene* meretur, hortandus est, ut studium conferat. Historia nostri sæculi tua, non poterit non præclara esse. Utinam paulo prolixiorum conderes ad *Thuani* formam, & virorum doctorum vitas breviter attingeres, ut ab illo factum. De propensione Regis Sinarum ad Christiana sacra *Grimaldus* moderate loquebatur. Interim mire laudabat animum ejus, solidæ scientiæ & virtutis studiosum. P. *Antonii Thomæ* epistolam vicissim legere optem. *Grimaldum* accepi, ubi primum Pekinum attigit, graviter decubuisse, nec sine periculo. Si recreatus est, mihi non contemnendas ab eo notitias polliceor. Detecta conspiratio auctoritatem Regis apud Anglos auxit. Unum vereor, ne iisdem causis aliquando recrudescant motus: nam durante adhuc bello, dum pecuniæ plus quotannis emititur regno, quàm recipitur, exhaustis loculis, in gente onerum insueta atque impatiente, timendum est, ne gravius aliquando in nervum erumpat malum, & nos in pacem indignam præcipitet, quod Deus avertat! Itaque cogitandum esset Anglis, ipsisque sociis de habenda Angliæ ratione. Sed video, plerosque alieni boni, imo & futuri sui esse incuriosos. Vale & fave. *Hanoveræ d. 3. Aug. 1696.*

XXIV.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Ad singula præcedentis epistolæ argumenta respondet, & quid de republica sentiat, aperit.

IN aere tuo me esse memini; quam ob rem *Leimbachium* vestrum hisce comitari volui, ut tibi significem, gratum mihi fuisse intellectu, quæ excerpta tibi de voce *Glenen* misi, non displicuisse. Plura si suppeditare possim, lubenti animo id facturus sum; ipse enim talium studiosissimus sum. Annales totius orbis, maximè verò Europæ & patriæ nostræ, per compendium tracto, adeoque nullatenus *Thuanum* imitari, multo minus doctorum virorum vitas describere possum. Festinare enim me oportet, ut biennio absolvam: id enim ætatis meæ ratio suadet. Res Patrum Societatis in regno Sinensi bene procedunt; epistolam P. *Antonii Thomæ* habebis, ubi amanuensis meus descripserit. Si tu plura ex, vel de *Grimaldo* acceperis, edoce me quæso. De republica vix habeo, quod scribam, adeo in occulto sunt omnia. De pace agi in Belgio certo certius est. Locus haud procul Haga, ubi *Callieres* Gallus moratur, notus est. Mihi verò persuadere

dere non possum, id agi, quod in Sabauda tantopere improbat, id enim rationes nostras omnes destrueret, & pacem immaturam ac perniciosam nobis afferret. Verum & nos culpa non vacaremus, quia rem nostram lente & quasi somnolenter agimus, quæ totis viribus perficienda esset. Anglorum animi non omnes æqualiter sunt compositi: plurimi *associationem*, quam vocant, subscribere nolunt, id est, ordinem successionis, sub initium regni *Wilhelmi* ab ordinibus decretum, agnoscere abnuunt, qua ratione *Jacobo*, ejusque filio, sive vero, sive suppositio, spes aliqua postliminii relinquitur. Vale. *Francofurti die 17. Aug. 1696.*

P. S. Sabaudum minis foederatorum terri posse, ut resipiscat, vix credo. Bellum in Italia continuaturum sunt, sed contra quem? Possidetne Gallus aliquid in Italia? Per montes in Galliam ibunt. Cur non per patentes Palatinatus & Lotharingiæ campos? Sin contra Sabaudum; Pontificem omnesque Italiæ Principes adversos habebunt. Et quis quæso erit hujus belli dux, cui cæteri libenter parituri sint?

XXV.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Literaria de Meieri Glossario Saxonico, Huetii notatis de Saxonum vestigiis in boreali litore Galliæ, Peirescianis & Gudianis epistolis, &c. additis quibusdam ad rempublicam spectantibus.

Rem haud dubie antiquitatibus Germanicis illustrandis utilem facies, si domino *Meiero* nostro, Bremensium theologo glossarium Saxonicum meditati vocabula provincialia per amicos Thuringos aliosve impetrare possis. *D. Huetius* Abricensium Episcopus spem fecit notationum quarundam suarum circa Saxonum vestigia in litore Normanniæ & Picardiæ, quod *Saxonicum* veteribus ob crebras Saxonum irruptiones dictum fuisse constat. Pertinent hæc omnia ad Germanicam historiam, cui ornandæ destinatum collegium Imperiale, quo in statu sit, discere opto, dum interim multa in rem ejus conquirere non intermitto. Nuntiatum est, volumen insigne mox editum iri epistolarum ad *Peirescium* ab eruditis scriptarum, in quibus ultra triginta numerantur *Salmasianæ*, multum habentes bonæ frugis. Utinam, qui super *Gudianum* Epistolarum volumen doctissimo *Grævio* inscripsit editor, non suo sed *Grævii* usus fuisset judicio! ita enim multa haud dubie suppressisset parum digna *Gudio*, aut quæ magis pertinent ad officia amicorum, quàm ad incrementa literarum. Doleo tantum virum non satis nosci eruditis, qua parte merebatur. Spes tamen est *Inscriptionum* præclarissimum volumen editum iri, cum Angli obstetrices manus obtulerunt,
si Ba-

si Batavi bibliopolæ cunctentur. Annalium tuorum nostri temporis præclarum haud dubiè opus diffundi nonnihil optem. Quis enim hoc te meliùs possit, qui doctrinam cum usu rerum conjunxisti? Itaque quantum ei detraxeris, tantum nobis damni dederis. De *Grimaldo* mihi nihil ultra auditum. Spem feceras Epistolæ P. *Antonii Thomæ*, ubi tuus amanuensis descripsisset. Spes pacis generalis nondum exstincta est, modo ne scrupulitatibus nimis utrinque indulgeatur, quibus fieri potest, ut rursus velut ex conspectu portus rejiciamur in plenum mare, ubi multa accidere possunt quæ rationes nostras conturbent. Sed ita fatum est hodie publicorum negotiorum, ut ferè ad scopulos rerum cæremonialium obhærescant. Apparet & hoc sæpe esse hominum ingenium, ut oblata reculent, aut frigidius accipiant, quæ recusata omnibus votis petissent. Quis ante hos viginti annos ex Protestantibus non exsultasset, si Electoratus novi suis partibus impetrandi spes affulsisset? Quis ante quadriennium non mirifico gaudii sensu intellexisset, Argentoratum, præsertim ut est munitum pro *Luxenburgo* & tot aliis malè reunitis verè nobis reunienda offerri? Ita sæpe fit, ut res non vero, sed affectionis pretio æstimemus. Laudo quidem circumspectè agi cum lubrico hoste; optarem tamen, initia tractatum non nimis differri, ne fatalis quidam casus omnia avertat. Nupero bello, cum *Colonienses* tractatus fuissent disturbati *Noviomagensibus*, res in deterius ivere. Sed cum Imperator & Rex *Magnæ Britannæ* principes sint sapientissimi & præ cæteris bellandi difficultates sentiant; non dubito, medium servaturos inter abruptam obstinationem, & projectam facilitatem. Verùm hæc tui annales meliùs dicent, quos precor, ut continues in multos annos. Nec video, quid aliud melius optare ineunti annum possim: ita enim & valetudine secunda adhuc diu uteris, & animo libero & suis contento, quando tot alienis, id est, orbis rebus, vacare potest. *Dabam Hanoveræ 24. Decembr. 1696.*

XXVI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De Collegii Imperialis historici lento progressu queritur, & quæ circa noni Electoratus erectionem monenda ipsi videbantur, indicat.

L Iteras tuas amantissimas d. 24. Decembris *Hanoveræ* datas tardè accepi. Non enim domi, sed *Gothæ* fui, illo ipso die magna mœstitia quasi obrutus. Etenim filia mea, insigni viro, *Avemanno*, Consiliario *Saxo-Gothano*, desponsata, post quatuor hebdomadas felicitis puerperii mortua, tunc sepeliebatur. Postea aliquamdiu *Isenaci* versatus, componendo inter

Principes fratres dissidio cum reliquis consiliariis occupatus fui. Domum intempestiva hieme reversus, tot negotia, tot literas expediendas reperi, ut vix necessariis sufficerem. Nunc paulo liberior factus, ad officium meum erga amicos redeo, imprimis monitus literis hic insertis, brevi abhinc tempore ad me delatis. Operam dabo, ut *Meiero* glossarium Saxonicum meditati, vocabula provincialia subministrantur. Collegium nostrum historicum nunc planè quiescit. Sæculum primum *Pregitzerus*, nunc consiliarius Wirtembergicus factus, in se recepit elaborandum. Verùm tot negotiis, ut ait, hoc tempore bellico impeditus, elaborare illud nequivit. Sic prodromus meus, futuros annales hucusque frustra exspectavit. In annalibus meis concinnandis prolixus esse non possum, si inter tot alia negotia coeptum opus absolvere debeam. Nec enim polliceor perfectam historiam, sed epitomen tantum rerum præcipuarum, ita ordinatam, ut qui historias unius gentis nosse cupiat, sine ulla difficultate eas continuando legere possit, allegatis autoribus, ubi plura reperiri possint. Tomus primus jam ad editionem paratus est, & impressionis initium brevi fiet. Judicium meum passim admisceo, interjectis nonnullibi dissertationibus meis, de rebus vulgo non obviis, sed alio charactere distinctis, ne lectori festinanti moram injiciant. Epistolam *Antonii Thoma* ex India in aliud tempus differo; nunc enim describi non potuit.

De pacis tractatibus prudentissimè differis, scrupulositatibus, ut ais, non nimis indulgendum: nescimus enim quid serus vesper ferat. Sæpe etiam, ut rectè observasti, fit, ut homines oblata reculent, quæ recufata omnibus votis expetiissent, sic loqueris. Exemplum affers de novo Electoratu, & ais: *quis ante hos viginti annos ex protestantibus non exultasset, si Electoratus novi suis partibus impetrandi spes affulsisset?* Credo, exultaturos, lætatos & jubilatos fuisse. Verùm enim verò, si quis addidisset, hac tamen ratione Cæsari licitum fore, sine consensu Imperii decimum, undecimum & duodecimum Electoratum e numero catholicorum Principum stabiliendi & potentissimos ex istorum collegio in Electorale transferendi, simulque sibi directorium tanquam Regi Romanorum arrogandi, tunc procul dubio lætitia & jubilus omnis in extremam tristitiam, ejulationes & lamenta conversus fuisset, quasi hac ratione status Imperii in oligarchicum, oppressis & in nihilum redactis reliquis Ordinibus, conversus fuisset. Neque enim ex tam intempestiva & improvisa gravi mutatione, quæ omnibus rebus publicis periculosissima esse solet, aliud, quàm graves mutationes in familiis & collegiis sequi posse, quæ omnes neque prævideri, neque prædici possint. Saluberrimum enim consilium prudentis viri esse τὴν πάρεσσαν πολιτείαν διαφυλάττειν. Et *moribus antiquis stat res Romana* &c. Profectò bonus civis nunquam concupiscere debet id, quod vanum nomen sine majore potentia, sine pluribus commodis, cum sui suorumque invidia affert. Et cum unusquisque in suo ordine æstimatissimus fit, certè non debet affectare id, quod majus nomen, at minorem æstimationem, & inferiorem locum illi affert, cum

cum in suo ordine primum, eumque laudatissimum habere possit. Sed ista in fidum pectus tuum altiore & profundiore prudentia, quam primo aspectu æstimanda, relinquo. Sic vive & vale. *Dat. Francof. d. 8. Maii Anno 1697.*

XXVII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Ludolfi monitis circa novi Electoratus institutionem, prudentissimè respondet.

EA est prudentia tua, ut dubitare non possim, quin, quod expressisti, tamen agnoveris, & subintellexeris quos refers quorundam metus, eo tantum valere debere, ut sibi caveant, non ut rem dudum votis expetitam rejiciant: in quo haud dubiè plus valerent privata, quàm publica, & affectus, quàm rationes. Nec puto vel te, vel alios prudentes viros rei contrarios esse posse, dum causæ communi consulatur. Multa igitur inter oppositè distinctione opus puto. Qui libertati in posterum caveri expetunt, aut etiam qui id agunt, ne quod sibi præjudicium creetur; sed qui rem ipsam potiùs, quàm modum opponendum sibi sumunt, haud dubiè invidiæ privatisque consiliis speciosas publicæ rei causas prætexunt.

XXVIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Nova Sinica cum amico communicat.

CUm nuper epistolam meam novissimam, cum alia, a *Magliabeckio* inserta die VIII. Maii ad te misissem, alia supervenit a te epistola XXVI. die Aprilis data, cum munere profectò gratissimo, videlicet *Novissimis Sinicis*, quæ Christianis omnibus profectò jucunda lectu & suavia auditu esse debent. Quandoquidem procul dubio plura ejusdem argumenti brevi secutura sint, statim ad te mittere volui, quæ mihi ad manus fuerunt. Quæ si vel lecta vel descripta fideliter remittere voles, plura propediem accipies. Ea sunt.

A. *Thyrsi Gonzalez* epistola ad *P. G. Albertum Scheiffe*, domus professoris Vienne-nsis præpositum. Romæ 30. Jan. A. 1695. Latine.

B. Summa epistolæ *Antonii Thomæ*, scripta Pekini d. X. Februarii, missa

Roma XIX. Julii 1695. in Galliam per P. *Morgues*, sat malè scripta Gallicè.

C. Relatio Sinenfis de anno 1695. incerti autoris.

Quæ si tibi utilia fuerint, gratum mihi erit. Ego cùm ad hæc tempora venero, annalibus meis inferam. Summus Pontifex talium gnarus, *Missionem* Sinicam omni studio promovere nititur. Etenim centum millia scutorum liberaliter illi destinavit. Et collegium *de propaganda fide* facultatem dedit Patribus Societatis Jesu, Missionarios in Chinam mitendi. Literæ novissimæ, quas Roma accepi, sic habent:

In tanto giunse la lettera del Re di Francia al Cardinal de Janfon, che l'Ambassador suo nella corte del Re di Persia haveffe ricevuto una lettera della Regina madre del regnante Imperatore della Cina (che dicono fosse Portoghese, e per il genio sposata dal Re e fatta Regina) chiedente Missionarii. Il Padre Giesuita ivi Missionario non lo voleva credere. Replico l'anno seguente l'istessa dimanda; e perche il P. Giesuita era pur duro à credere, l'Ambassador spronò con dirgli, che v'andasse, che sarebbe stato in gran grado e lui havrebbe havuto bisogno del Padre; Talemente fece che il P. Giesuita spinse il P. Verzou pur Francese Superior in Aleppo, à portarsi dal Provinciale in Francia, così fece, ottenne dal Provinciale 6. Compagni, 1. Lui stesso. 2. il P. Bodin. 3. P. Brevudent. 4. P. Pouffevache. 5. P. Grenier. 6. Bonamour, e'l Re di Francia assegno per loro tanto denaro. Il P. Verzou venne qua a Roma &c. Opportune ad me misit insignis vir P. Papebrochius, amicus meus singularis, tractatum suum tibi transmittendum, quem hac occasione a Domino Consiliario Lüdecken accipies. Vale mihi que favere perge. Francofurti die 4. Junii A. 1697.

XXIX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM,

Varii argumenti literæ.

PAUCIS his versibus inclusas a P. *Papebrochio* mihi commendatas comitari volui, simulque interrogare, num epistolam meam die $\frac{8}{18}$ Maii ad te datam, cum adjecta a *Magliabechio*: nec non fasciculum cum Sinenfis quibusdam A. B. C. Domino *Lüdeke* Legato Guelpherbytano, commissum, rectè acceperis. Placet, quod amici tui apertas mihi credant epistolas, ex quibus, quid in republica literaria in Italia agatur, cognoscere possim. Controversiam de fluminibus equidem non capio; vellem tamen librum ipsum de ortu fluminum inspicere. (u) Etenim in ista firma sum sententia, flumina

(u) Ludolfus fortè dum hæc scribebat, Bononiæ 1697. 4to, recusis inter opera ad *Dominicum Guilielminum* respexit cujus viri, junctim edita Genevæ 1719. II. Vol. in 4to.

mina non nisi ex aqua pluvia, nullatenus ex aqua marina oriri. Ista enim sententia mihi semper absurdissima visa fuit. Rationes habes in commentario meo. Plura ob angustiam temporis non addo. Id tantum rogo: ut epistolas tuas, sive Hanoveræ, sive Guelferbyti, Cancellariæ, ad Agentem *Prim* huc mittendas committere velis. Procul dubio audivisti, domum Austriacam ambire decimum Electoratum: id temperare potest lætitiâ Protestantium, de qua in novissimis tuis mihi scripseras. *Francofurti d. 26. Jun. A. S. 1697.*

XXX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De adventu suo Salzdamiam certiolem facit Leibnitium.

TRes ad te epistolas dedi ad quas nec dum ullum vidi responsum. Quas quarto die Junii Dominus Consiliarius *Lüdeke* secum tulit, continebant Sinensia quædam, sub literis A. B. C. Sequentes die 26. ejusdem mensis scriptæ afferebant simul a *Magliabechio* & Domino *Guilielmini* literas. Commercium literarum, quod per Europam agitas, te quidem reddit occupatissimum. Interim oportebat amicum, ejuscemodi scripta & literas mittentem, certiolem reddere, quod eas acceperis. Nudius tertius huc veni, Serenissimo Principi obsequium meum demonstraturus; sed dolui, quòd te non repererim, quippe biduo ante discesseras. Nunc an tam felix futurus sim, ut jucunda & gratissima tua conversatione fruar, equidem nescio; diu enim hic substiturus non sum. Quippe Deo & Serenissimo Principe volente, feria quarta sequentis hebdomadis summo mane hic discessurus sum. Sin commoditas tua interim huc advolandi permitteret, possem multo pluribus quam per literas tecum agere. Specimen annalium meorum tui potissimum causa mecum sumsi, tuum consilium & judicium de illis auditurus. Quæ de missionibus, Sinensi & Æthiopica, vulgo sparsa fuerunt, ea distinctè & verè Roma accepi, narraturus, si copiam tui habuero. Vale, meque amare perge. *Salzdalia d. 10. Sept. 1697.*

XXXI.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Urget responsorias Leibnitii, & de iis, quæ in Polonia tunc acciderant, judicium suum transcribit.

Nescio profecto, quonam pertinax tuum silentium referre debeam. Statim ac huc veni, adventum meum tibi nuntiavi, sperans te tui copiam nobis facturum, aut saltem literis de salute tua me certiore redditurum. Nunc rebus omnibus, propter quas veni, perfectis in procinctu sto, Brunsvigam abeundi, ac dehinc Helmstadium transiturus, Weverlingam, deinde Hallam & Lipsiam petam, post unam & alteram hebdomadam Francofurtum rediturus. Interim hic *Papebrochii* epistolam, mihi commendatam tibi mitto, teque salvum & sospitem bene valere jubeo.

Nova procul dubio eadem habetis, ac nos hic. Elector Saxonæ, sancita cum adversa parte concordia, magno comitatu & splendida pompa Cracoviam introiit. Mirabitur procul dubio Princeps *Contius* tantum catastrophem, & dolebit. Regis Galliæ lætitia ob reparatam pacem hoc facto & victoria Hungarica multum temperabitur. Nec opus habebit copias suas nunc inutiles per Germaniam, uti decreverat, in auxilium *Contii* ducere. Quomodo nunc fidem Imperatori Turcarum datam, quod pacem solus cum Imperatore facere nollet, liberare velit, ipse videat. *Salzdalia d. 16. Sept. 1697.*

XXXII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Excusat tarditatem in respondendo, de negotiis publicis variisque literariis disserit, tandem quæ in controversiis religionis componendis agat, significat.

Qui diu tuas expectaveram, nunc sum in aëre tuo. Ac primum multas ago gratias pro communicatis, quæ Sinicis meis conjungi possint. Utinam haberent nostri quoque quibus studium propagandæ religionis purioris ostendant. Sed præstat ad remotos populos Christianismum non fatis limpidum pervenire, quàm nullum & quæ porro sperare me rei *missionariæ* jubes, semper gratissima erunt. Doleo admodum, non potuisse me vicinia tua colloquioque frui, quo vix aliud potuisset accidere optatius. Equidem
expec-

expectari te audieram; sed cum nihil cognovissem certi, non poteram ultra moram trahere Guelferbyti, fatis jam diu Hanovera absens. Accidit autem, nescio qua eorum negligentia, quibus literæ tuæ Salzdalio datæ, fuerunt commissæ, ut priores allatæ sint postremæ, nempe hodie demum, nec per ordinarium tabellarium, sed per famulum hominis in hac urbe degentis, cujus frater agit Guelferbyti, sed ita tamen perplexitate liberatus sum, in quam me conjecerant tuæ, si tempus quo dedisti, spectes, novissimæ, in quibus accusabas pertinax silentium meum, & Papebrochianas simul mittebas. Ego cum tuas priores nullus vidissem, verebar, ne essent suppressæ, eoque verebar magis, quod aliquando dicis de rebus nostris, quæ mihi non possunt probari atque ipsa inscriptione literarum insinuas; quas suspicabar locum dedisse suppressioni. Unde mallet literis meis nudum nomen meum inscribi, quàm addi titulum, quem nostri in sui injuriam accipere possint. Ego sanè & tua & aliorum cætera egregiorum virorum consilia non capio, qui tenuissimos per se motos metus mirè exaggeratos suis restitutionibus prætexunt. Certè iis vitiligationibus contra rem per se æquissimam & utilissimam, & vix ultra honores porrigendam, plurimum collatum est ad pudendam Germaniæ pacem. Dicitur non potest, quàm me nuntius amittendi in perpetuum Argentorati affecerit. Sed ista meremur Germani, quibus in gravissimis periculis vacat contentiunculis, nescio quibus, distineri; neque unquam aliquid in tempore facere placet. Neque debebamus ipsi majore nisu rem gerere, & sublevare magis Anglos Batavosque, sub onere laborantes, si volebamus in pace facienda majorem nostri haberi rationem. Quodsi vicinos hosti & domum Brunsvicensis excipias, quæ ultra vires laborasse videri possit, & cui Moguntiam, Francofurtum, Hamburgum, Holsatiam salva, ipsam nunc Poloniam non Gallicam pro bona parte debemus? ne quid de Hungaria sublevata dicam. De cætero videntur Germani majus aliquid præstare potuisse, audiendusque erat autor libelli: *Fus est & ab hoste doceri*; ante aliquot annos editi. Equidem duo quorum meministi in novissimis tuis, solatia non contemnenda esse fateor, stragem Turcarum & proni sumus Germani in has consolationes, & oblivionem malorum, felicem haud dubie, nisi in pristinum torporem revolveremur. Et vereor, ut hæc alibi secunda accepto maximo per pacem iniquissimam vulnere medeantur. Nam Rheno superiore prope amisso, magnam Germaniæ partem externo jugo subjectam manifestum est, & vereri debemus ne malum latiùs serpat. Turcas victos res magna est, quia Cæsaris fortunæ in summo periculo versabantur. Si liceret uti victoria, & Temeswariam expugnare, fructum ejus, fateor, caperemus insignem; sin minus, parum proficiet ad summam rerum. Ubi Serenissimus Poloniae Rex tranquilla regni possessione erit potitus, multum inde rei Christianæ promitto. Sed vereor, ne inclytus Princeps, & antiquis heroibus opponendus, multis adhuc turbis implicetur, quibus ab agendis rebus maximis prohibeatur. Neque enim successum habuit transactio, *Radziejowski* coronationem dif-

ferri flagitante : quod adventante *Contio* meritò suspectum Regi fuit. *Contius* non paucis gratus erit , quia minus formidatus ; quia fucata modestia Regis titulo abstinuit ; quia novissimus , largitionesque ejus adhuc expectantur ; quia Gallicum aurum , vel , quod dicere pudet , Hispanicum secum vehit. Is enim Hispanorum stupor est , ut Gallis opes suas colligant , & neque habere sua sciant in usum , neque custodire , ut nuper patuit , Carthagine Americana expilata. Quid putas de fœdere publicæ securitatis futurum , quod jam diu Francofurti agitatum est ? Certè Franconibus & Suevis censeo suadendum , ut militem selectum retineant. Nam si semel exarmantur , habeo eos pro conclamatis. Quid ita ? inquires ; quia militem dimiserint , nunquam postea rursus militem conscribere audebunt. Gallo mox rationem ejus reddi sibi jussuro , & injectis terroribus effecturo , ut arma ponantur. Sed viderint de republica , qui hanc sibi curam propius vindicant. Gratias ago , quòd Dn. *Magliabecchi* literas cum *Guilielminiana* defensione misisti. Cogitandum erit , qua ratione res in publicum eat. Lipsienses nolunt Actis suis integras concertationes inferi. De origine fontium ex pluviis dubium mihi nullum est , neque ea de re agitur aut egit *Guilielminus* , sed de legibus motus cursusque. *Hugenius* & ego tantùm non arbitri electi eramus inter ipsum & *Papinum*. *Hugenius* obiit ; ego nec velim pronuntiare solus , & , quo minus aliena fatis examinem , meis prohibeor. Nolim putes , me solo literario commercio distineri , eoque tardiozem esse in scribendo , cùm tot habeam cogitata inventaque quæ subinde , ne pereant , schedis utcunque committo ; neque ea qualiacunque sunt , sed spectant ad res magnas & latè fufas. Ingenti me labore levavit Dominus Marchio *Hospitalius* Gallus , qui novæ analyseos mathematicæ meæ , quam *infinitesimalem* appellare soleo , & quæ confessione intelligentium Cartesianam magis supergreditur , quàm illa vulgarem , elementa nuper edidit peculiari opere , in typographia Regia impresso , ubi honorificentissimè de me locutus , interpretem esse & commentatorem inventi mei agere profitetur. Sed alia agito ad profundiozem rerum notitiam multo adhuc magis valitura , si absolvere fas sit. Quotidiana verò pariter atque extraordinaria , quæ ex officio persæpe imponuntur , magnis passibus progredi non sinunt. Quòd si tibi exploratum esset , quàm multa mihi sint agenda , tardè scribi minus mirareris. Et quamvis nihil admodum urgeret , tua enim reddita non erat , cur dubitares ; scrip-
fiffem tamen jam ante duos menses & amplius , nisi te expectari didiciffem , atque adeo judicarem domo abesse , sed voluptate privatus sum magnoque fructu , quòd nec te , nec primitias historiæ tuæ videre fas fuit. Cùm Lipsiam te ire significes , has illuc destino. Doctissimi *Tenzelii* nostri rebus egregiè me consuluisse putabam & ex ipsius voto. Nam stationem *Guelferbyti* tantùm non procuraveram honorificam pariter & fructuosam fatis in presentiarum pro rerum habitu ; sed ille mutata sententia mox id voluit agi , ut pensionem absenti , & apud præsentem Dominos mansuro obtinerem : quod proponenti mihi Serenissimus Dux *Antonius Ulricus* respondit ,

pondit, sese allicere sibi velle viros doctos, non aliis Principibus sustentare. Multum obstringes literas Germanicas, si Domino *Meiero* Theologo Bremensi, vocabula provincialia suppeditabis: strenuè pergit, & nuper apud nos fuit. Cum Domino *Erico* locutus sum ipse Venetiis. Vir est ingenii doctrinæque non expers, sed fortasse pronior in hypotheses, quas sibi præmaturè formavit & Goropianis subinde cogitationibus indulgens. Non ideo minus tamen opus ejus edi velim nec dubito, multa fore quæ inde discamus. Præclaro *Papebrochio* ipse scribam recta, & gratias agam. Multum ego apparatus Collegio vestro historico colligo & quædam subinde edam. Habebitur proximis nudinis volumen mediocre in quarta, quam vocant, forma, scriptorum historicorum ineditorum, quorum aliqui diu fuere desiderati. Mox alii sequentur. Et possem dare plura ac celebriora, si hic typographo diligentiore instructi essemus.

Intentior mihi nuper ex jussu meditatio fuit, de religionis controversiis, quod ego argumentum inde a prima juventute tractavi, si quis unquam: non tantum legendo, sed & conferendo cum celeberrimis adversariorum, per litteras pariter & coram (x). Et de Reformatis quidem semper judicavi, vix digna lite esse quæ agitantur nedum scissione; neque mentem ea de re meam unquam dissimulavi. Nam quæ *Pufendorfius* vir doctus alioquin & acutus, in postremo opere contra absolutum decretum paratrægiatur, profecta sunt ex rebus non satis profundè intellectis. De Pontificiis longè aliter sentio arbitrorque non posse cum ipsis conveniri, nisi quædam ipsorum decreta mitigentur seponanturque in theoria, multique abusus inoliti rejiciantur in praxi. Inveniet ibi quoque Collegium historiæ patriæ illustrandæ te principe destinatum, quibus aliquando utatur. Et miror profectò cessare viros illos doctos, qui nomina dedere, nec tecum communicare studiorum apparatus. Nam fortasse sæcula integra describere promptè velle, nimium est. Colligi materiam & non pervulgata interim Miscellaneorum titulo prodire satius foret donec integrum historiæ nostræ corpus justa cura maturescat. Sed hæc tibi optimè explorata expensa que magis excitandi quàm monendi animo scribo. Vale. *Die 19. Sept. 1697.*

(x) *Speclant ad hoc negotium irenicum, variae Leibnitii literæ ad Joannem Fabricium theologum Helmstadiensem datæ. Maxime autem huc facit celeberrimi Lipsiensium Professoris Jo. Erh. Kappii Sammlung einiger vertrauten Briefe, welche zwischen dem Freyherrn Gottfr. Wilh. von Leibnitz und dem Berlinischen Hofprediger Dan. Ern. Jablonski auch andern Gelehrten, besonders über Vereinigung der Lutherischen*

und Reformirten Religion &c. gewechselt worden sind, aus ihren Handschriften mit einigen Anmerkungen aus Licht gestellet, Lips. 1745. in 8vo. Caterum cum tentamen hoc unionis ecclesiasticæ, potissimum jussu & auctoritate Divi Friderici I. Borussiae Regis a Leibnitio sociisque susceptum sit, pleniorum ejus notitiam dabunt scripta a Cl. Ge. God. Küstero in Bibliothec. histor. Brandenburg. p. 249. seqq. indicata.

XXXIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Ad singula proximè antecedentis argumenta respondet, præsertim verò quid de Catholicorum missionibus & de religionis controversiis componendis sentiat, candidè aperit.

PErgrata mihi fuit epistola tua die 19. Septembris scripta; sed longè gravior fuisset præsentia tua, si eà me beare voluisses vel potuisses. Tunc ea omnia, propter quæ inter nos literarum commercium est, prolixius & jucundius transigere potuissimus. Ut de titulo ordiar, quem nuper tibi dedi, cum Guelpherbyti agerem, pro stylo loci id feci, nunc in alio loco alium quoque titulum tibi tribuo. Sinica mea, quæ tecum communicavi, data occasione, quæso remitte; plura si placet communicabo, simulque ea, quæ de hac missione Roma accepi, narrabo, diversa a vulgo traditis. Quod ad conversionem ethnicorum attinet, *missiones* Romanorum, quantum in me est omni ope consilioque promovere soleo, neque invidiæ aut obrectationi locum do, gnarus, evangelii prædicationem, a quocumque demum fiat, non sine fructu aut efficacia manere. Primus ego auctor fui Patribus Societatis, cum P. *Weitensfeld* cum socio Romam pergeret, ad electionem novi Generalis, ut vocant, ut per Moscoviam iter tentarent, simulque rationem ostendi quo pacto id commodissimè fieri posset. Sed nescio cujus culpa vel imprudentia hoc insigne negotium effectum sortitum non est. Poterit autem in posterum in effectum deduci, si Moscovitæ cum Sinensibus arctiorem contraxerint amicitiam. Quod nostrates nihil tale moliantur, partim incuriæ, partim distractis in varia capita consiliis tribuendum (y). Id enim contingere solet, ubi membra multa uno capite desituuntur; quod dolendum. De republica inter nos agere vanum & supervacuum puto: neque enim inter nos conveniet, de quo inter prudentissimos Principes non conveniet. Et quod isti illegitimum & illicitum censent, atque gravibus argumentis ex usu & observatione superiorum temporum demonstrant, nos non dijudicabimus, multo minus deci-

(y) *Nostris temporibus hæc servata fuisse videtur felicitas, ut purioris quoque doctrinæ præcones, ad curandam infidelium salutem, exterarum nationes adeant: Britannis, Danisque maximè tam laudabile consilium, pro virili juvantibus. Plura daturus hac de re sum, in singulari, quod meditor, opere historico de Millionibus Evangelicorum.*

Humanissimè itaque eos, qui ad argumentum hoc spectantia possident monumenta, rariora & inedita, rogatos volo, ut mecum ista communicent. Nec ingratum me habebunt, nec ingratos, quibus vel gloria numinis, vel proferendi scientiæ historice fines, curæ cordique sunt.

decidemus. Proinde facile tibi credo, tibi mea non omnia posse probari, sicuti nec omnia tua mihi. Metus quosdam vocas tenuissimos, quos alii gravissimos. Sed non tantum de futuris, verum de præteritis maxima quæstio est, quid olim & Imperator & Ordines Imperii omnes de nota controversia fenserint.

Sed ad rem literariam transeamus. Quod sententiam meam de origine fontium ex pluviis probes, ac ipse eam teneas, placet. Probabis sine dubio dictum *Ecclesiastæ Cap. I. 7.* a tot claris viris malè intellectum, a me verò rectius expositum, ne putemus aquam in sua substantia è mari per meatus subterraneos in altissimos montes ascendere. *Comment. ad Hist. Æthiop. lib. I. cap. 8. pag. III.* Num quid monendum habeas, in mea dissertatione, scire pervelim. De religionis controversiis componendis & ego multum laboravi; sed statim cognovi de conciliandis doctrinis operam omnem vanam atque frustraneam esse; nec alterutram partem suam sententiam unquam mutaturam, ideoque eos, qui verba tantum utrique parti grata invenire satagunt, plane in cassum laborare seque utrique parti ludibrio exponere. Eam ob causam inducias tantum sacras excogitare volui, *tolerantiam* alii vocant, quas pace Westphalica cœptas, ulterius extendere & prosequi studui, ut sepositis injuriis & violentis remediis tranquillè invicem ageremus & viveremus, idque utrique parti proficuum atque utile futurum esset. Cùm nuper Gotham transfirem *Bartholomæum Meierum* bibliothecarium Gothanum, *Meiero* Bremensi conciliavi, illique persuasi, ut vocabula obsoleta atque ignota colligeret, atque cum illo communicaret. Multa de hac materia mecum versò, quæ proferre possèm, si vacaret. Pauca quædam raptim in adjectam schedam conjeci, quæ num pro palatu ejus futura sint, nescio. Eum, quæso, a me saluta.

Erici Germani Isenacensis liber nunc prodiit Venetiis apud ipsum auctorem. *Ἀνθρωπολογικὸς λόγος* sive *humana vitæ genesis* vocatur. Eam a vocalibus cœpisse ait, ac deinde voces formatas & multa alia *παράδειξος* tradit. Dum jam ad finem propero, affertur mihi Lipsia fasciculus, quatuor exemplaria auctorum nondum antehac editorum continens, cum epistola tua die 29. Septembris data, cui ob festinationem tabellarii nunc respondere non licet. Interim gratias maximas pro exemplari mihi destinato ago, atque te sic valere jubeo. *Francofurti die 6. Nov. 1697.*

XXXIV.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Varia literaria exponit.

TE literas meas die 6. hujus mensis datas accepisse non dubito. Eas jam jam obſignaturo redduntur aliæ a te die 29. Septembris exaratae, una cum quatuor exemplis *Accessionum historicarum*, quorum duo jam bene curavi; id quod P. *Papebrochio* destinasti; bibliopolæ illius amico Coloniam miſſurus ſum. Pro meo gratias repeto maximas. Dominus *Eyben* (z) titulo Baronis non utitur: neque eum pati poteſt: optimè enim ſcit, quid Latinis id vocabulum ſignificet, (aa) & ego, ſi quis mihi gratis conferre vellet, omni opera deprecarer. Solet autem a nonnullis *Edler Herr* inſcribi. Catechiſmum Sueco - Americanum ipſe poſſideo, & ubi titulus fert, lingua Americo-Virginiana dicitur; ſed differt a lingua Novæ Angliæ, cujus oratio dominica habetur pag. 130, ut & a lingua Carai-bica. Si plures tales haberemus, facilè ſuppleremus centenarium orationis dominicæ, quem nobis *Andreas Mullerus*, *Greiffenhagius* minimè plenum propoſuit. Vocabula iſtarum linguarum proſus differunt a dialectis veteris mundi, ut dubitare poſſis, ex qua illius parte populi iſti prodierint. *Acolubum* (bb) obiſſe certò ſcire velim; eſt enim ex amicis meis. De *Heilingio* Lubecenſi, præter ea, quæ in historia mea, & commentario illius habeo, nihil ampliùs proferre poſſum (cc). Tantum malè me habet, quod de obitu ejus nihil certi pronuntiare poſſim. *Sikium*, cujus quidem *Evangelium infantie Jeſu apocryphum* non vidi, propter ingenium, quod laudas, admiror. Si verſionem Alcorani, utique difficillimam, in animo habet, vellem conſilio meo uteretur. P. *Bonjour* magnus nobis foret *Apollo*, ſi promiſſa præſtaret: nam corruptionem & corruptorem verſionis LXX. interpretum nobis oſtendere velle, magnæ proſecto temeritatis videtur.

Nam

(z) De *Ulrico ab Eyben* loquitur: *cujus vitam, ejus ſcriptis de jure civili, privato, publico & feudali, junctim Argentorati 1708. f. editis, præmiſit Jo. Nic. Hertius.*

(aa) *Quis vero unquam etymologiam anti-quiffimorum vocabulorum ſeptentrionalium a Romanis derivabit? Saniora nos de origine hujus tituli docet Vir Illuſtris, Chriſtian. Lud. Scheidt, in egregio opere, quod inſcripſit: Hiſtoriſche und diplomatiſche Na-*

chrichten, von dem hohen und niedern Adel in Teutſchland, (Hannov. 1754. 4to.) pag. 191. ſeqq.

(bb) *Andream Acolubum intelligit, qui anno demum 1704. vivere deſiit. Cf. Pip-ping. Memor. theologor.*

(cc) *Quibus addi meretur B. Joannis Henrici Michaelis ſonderbahrer Lebenslauf Herrn Peter Heylings, und deſſen Reiſe nach Ethiopien, Hal. 1724. 8vo.*

Nam ut viri doctissimi clarè nos docent, computatio illa jam a primis ecclesiæ Græcæ incunabulis obtinuit: nusquam ulla datur varia lectio: nemo Patrum de ea quidquam habet; unde probabiliter censent *Waltonus* cum fociis, corruptionem & diversitatem a textu Hebraico statim a temerario aliquo, post *πρωτόγραφον τῶν Ο*, commissum. Quomodo verò ille hoc indagabit? Nam si tantum in uno vel altero *ἀπογράφων* contigisset, remansisset utique vera lectio in uno vel altero exemplari. *Æthiopes*, qui τὸς Ο, κατὰ πόδα sequuntur, aliam supputationem habent; Deus noverit, unde desumtam. Eam communicare possum, si *P. Bonjour* desideret. Hicse vale, meque amare perge. *Frankfurti d. 13. Nov. 1697.*

P. S. Quæ de republica, privatim Polonica differis, ea verissima sunt. Noveris procul dubio, Electorem Moguntinum, Serenissimum Hanoveranum pro Electore, extracollegialiter agnoscere velle, qui verus est modus atque remedium componendæ hujus controversiæ. Iterum vale.

XXXV.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM,

ex responsione.

Nova literaria & ad rempublicam spectantia tradit.

C*hristianus Menzelius* Archiater Electoralis Brandenburgicus senior, post *Andream Mullerum* magno studio in Sinenſi literatura verſatus, Chronologiæ ſuæ mihi nuper exemplum miſit, deſideratque aliud ornatius a *P. Boveto* ad Sinas deſerri ipſi monarchæ, cui dedicatum opus eſt. Neſcio, an mos dedicandi libros apud Sinenſes. De *Acoluthi* morte rumor falſus. *Adel Meiero* & aliis ab *od*, poſſeſſio, quaſi nobiles iſdem, qui poſſeſſionati. Et tua, & *Meieri* opinio plauſibilis. Itaque *ἐπέχω*. Sanè *Atta* populis Scythicis, uti *Abba* Hebræis: unde gentes diſtinguas *Attaciſmo* & *Abbacifiſmo*, id eſt, Hebraiſmo, vel ſi mavis Arabiſmo & Scythiciſmo. Gloſſarium univerſale *P. Thomasi* ex Gallia accepi. Multa ibi eruditio. Omnes ille linguas derivat ex Hebræa: an rectè, non fatiſ dixerim. Videntur enim Hebræa, quæ nobis nota ſunt, tantum velut rudera quædam eſſe, linguæ antiquioris & plenioris. In lingua originaria meo iudicio radices cognatarum cognatæ eſſe debent, cui nihil ſimile apparet in Hebræa. Curabo ut monita tua obveniant ad *P. Bonjour*. Cùm enim induſtria & ingenio non careat, videtur tamen indulgere ſibi liberalius, & monitore egere viro gravi. Res in Polonia compoſtas gaudemus omnes: utinam idem de Germania dici poſſit! Ego verò, quoties video, quo calore, & , ut ſic dicam, æſtu armorum Romana pars rem ſuam
agat,

agat, quantum contra frigus, & pene dixerim torpor occupavit Protestantibus, non possum non ecclesiæ malè ominari. Illa quidem Deo curæ erit; sed credibile tamen, luci præfenti successuram aliquam eclipsin, nescio quam diuturnam, recuperante vires regno tenebrarum, diviso genere humano inter superstitionem & atheismum. Nulla unquam pax facta indignior Germania, periculosior Protestantium parti; evulgato arcano, quoties cum Gallia conspirant adversarii, quidvis extorqueri Protestantibus posse. Invalido Angliæ, Batavorum, totiusque adeo Septentrionis præsidio, quorum Ministri vix mutire ausi, ad quarti articuli Rîswicensis odiosum schisma. Sed hæc deplorare facilius, quàm emendare. Extracollegialiter novum Electorem agnoscimus omnes, qui ab ejus parte, cum nondum introductum Collegio fatemur; sed judicamus tamen introducendum. Idem puto Protestantes omnes aut sentire, aut sentire debere. Interim extracollegialis agnitio velut gradus quidam est, ad pleni juris fruitionem.

XXXVI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

E Pistolam ad te scriptam cum obsignare vellem, librarius meus, nescio quo, reposuit. Festinans tabellarius non permittit eam diutius quærere. Interim jam jam obsignaturo mihi redditur tua carissima, cum Sinicis meis, die 23. Decembris scripta, cui proximè respondebo. Post lectionem obsigna, quæso, & mitte annexas *Meiero*, mihi verò judicium tuum expone. Vale. Raptissimè, *Francofurti die 28. Dec. A. 1697.*

XXXVII.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Literaria quedam, Sinica præsertim tradit, additis, quæ ad etymologiam vocabulorum Germanicorum spectant, nonnullis.

Tertia hæc est epistola, ad quam responsum mihi debes. Præcedentes duæ, d. VI. & XIII. Novembris scriptæ, materiæ satis continebant, quæ responsum quoddam mereri videbantur. Id nunc brevi præstolabor cum judicio tuo, de epistola mea ad *Meierum* Bremensem. Etenim monita tua semper magni facio & observo. Quapropter responsum tuum ad antecedentes meas epistolas tam anxie expecto. Quod *accessiones* tuas ad *Schilterum* rectè curaverim, ex verbis ejus cognosces, dum sic

fic ad me scribit: » *Accessiones Leibnizii* rectè accepi, valde gratas ob » chronicon maximè Saxonicum, quod idem esse censeo, quod Parisiis » existat in MS. cujus copiam a *Mabillonio* desideravi. Sed bonum factum! » eoque plures gratias & auctori illustri, & tibi debeo, cui ipse respon- » debo proximè. « Porro scribit: » Magnum decus nostræ academiæ, *Kub- » nium*, cras terræ mandabimus. Similem doctorem rerum Græcarum » vix recipiemus, cui, si vixisset, Rex noster pensionem assignasset, nec » metus ullus de religione. Intendit enim academiam adaugere viris eru- » ditis & civitatem commerciis. « Hæc ille.

Cum hæc in antecessum scripsissem, epistola tua, mense Decembri scri-
pta, cum Sinensibus epistolis mihi redditur; ex qua intellexi *P. Bouve-
tum* in Sinas reversurum. Cui quidem multa committere possem, nisi cre-
derem illum jam profectum esse. Si verò adhuc adsit, hortare illum,
quæso, ut, nisi jam in Europam secum attulerit librum, pro literatura
Sinica necessarium, *Hay-pien* dictum, ut summa cura illum mittere stu-
deat. Est autem instar lexicij cujusdam, quod expositionem omnium illa-
rum mirabilium figurarum in se continet. Vocabulum ipsum significat
Oceanum figurarum. Nam sicuti apud nos quælibet doctrina vel ars sua
peculiarioria habet vocabula, quæ imperitus illius doctrinæ vel artis non in-
telligit; ita & hic doctor vel opifex alicujus artis alterius figuras non
intelligit, ut qui velit in omni scibili figurarum peritus fieri, triginta vel
quadraginta annos impendere necesse habeat, atque tunc pro Generalissimo
in eruditione, sicut apud nos in bello, habetur. Deinde operæ pretium
foret, scire, quis jam apud Tartaros Orientales in *Niuche* imperio potia-
tur. Num jam cum Sinensibus planè concordēs sint? qua lingua utantur?
Observavi enim ante occupationem Sinarum Sinica cognomina illis indita
fuisse a *Tien, cælum*, plerumque composita. Et, si fieri posset, orationem
dominicam illorum lingua expeterem. Porro an non Tartaris illis septen-
trionalia loca probè cognita sint? nam revera fretum detur ab hyperbo-
reis regionibus, (quod enim vulgo *fretum Davis* ibi ponitur, sine ulla
auctoritate alicujus fidi auctoris factum puto) an non Americæ cohæreant?
Hinc enim quæstio vexatissima de migratione gentium in Americam decidi
posset. Deinde velim scire, an verum sit, Moscos de finibus regundis
disceptationem cum Sinensibus habuisse, atque in ea PP. Societatis arbi-
tros fuisse. In novissimis literis meis de *Sikio* quædam sciscitatus sum, ad
quæ nondum respondi. Clarissimo *Meiero* Bremensi salutem a me nun-
tiabis plurimam, addito: me epistolam ejus, *Meiero* cognomini, biblio-
thecario Gothano misisse. Ille a negotiis vacuus, desideriis ejus respon-
dere poterit. Multa mihi succurrunt in etymologicis notanda, quæ ipsum
observare oporteret, nimirum: omne vocabulum ita exprimendum esse,
ut exemplum & differentiam specificam habeat, quam non invenio in
derivatione vocis *Adel* a monosyllabo *ød*. Detur simile aliud? Et pos-
sessori non sunt nobiles tantum, sed & cives & mercatores in urbibus.

Adel autem venit ab *adelich*, patri similis, per apocopen syllabæ *lich* vel *lyk*, non inusitatam. Ab Hebræo אב *Ab* vel *Av* venit per paragonem terminationis Latinæ, *Avus*. Significationes autem multum variant: sufficit si affines sint, ut *Aper*, *ein Eber*, אילן *Bos*, *ein Elephant*. *Sus* apud Hebræos est equus. *Ein Igel* גלן apud Hebræos est vitulus, & sic infinita alia. Glossarium P. Thomassini nondum vidi. Num P. *Bonjour* ad monita mea nihil responderit, scire aveo. De induciis meis sacris multa dicere & temporis & chartæ angustia prohibet. Cessationem a persecutionibus, contumeliis, insidiis, violatione pactorum, utrimque specto. Non cessationem, sed moderationem disputationum, minimè verò syncretismum, aut conciliationem opinionum planè desperatam. Plura alias. Nunc vale diu & feliciter. *Francofurti die XII. Martii anno f. 1698.*

P. S. Nescio an non *Meiero* etiam suadendum sit, ut etymologiam multorum vocabulorum huc usque ignotam nobis proponeret, exempli gratia: *Nähmlich* derivatur a *Nahme*, quasi diceret *nominatenus*. *Bässer* comparativus ab obsoleto *Bafs*, *Bonus*. Rectè se habent: *je länger, je bafs*, & in Bibliis *bafs* aliquoties reperitur. *Adelich*, rectiùs *Atelich*, *Patrius*: est enim ab *Atta* vel *atte*, *Pater*, quæ vox adhuc in Suevia & Helvetia obtinet. Cujus generis multo plura dantur in lingua nostra, huc usque non intellecta.

XXXVIII.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

De induciis sacris. Literaria quædam.

TAndem otii parum nactus, respondere *Meiero*, teque rogare volui, ut literas lectas ad illum mittere velis. Si quid habeas, quod moneas, id pergratum mihi erit. De induciis meis sacris, in præcedentibus meis, die XII. Martii ad te datis pauca retuli. Non tam tolerantiam ecclesiasticam, quàm civilem spectavi. Id enim nunquam impetrari poterit, ut mutua condemnatio absit. Si enim doctoribus ecclesiasticis istam interdiceret velis, clamabunt omnes, id nihil esse aliud, quàm adversam doctrinam probare. Condemnent, quantum velint; sed probrosis vocabulis, contumeliis, injuriis, iniquis imputationibus abstineant. Tales inducias si Angli amplectantur, non quotannis cremabunt Pontificis imaginem, quod magnis sumptibus & ceremoniis facere solent. Persecutiones, inquisitiones, plagas atque pœnas omittant, privatum exercitium concedant, vagam scribendi libidinem coërceant, & similia &c. Doctrinas nullatenus attingo; neque etiam controversias. Quapropter semper judicavi, negotium hoc, inducias

cias inter diverforum cultores sacrorum conficiendi, non esse Theologorum, sed Politicorum. Iis enim sui mores essent relinquendi. Quo vero pacto civiliter & æquali jure, sine suspicionibus malis cum adversariis vivere, & acerbitatibus atque obtreccionibus obviam ire possimus, Principum sæcularium judicio atque arbitrio relinquendum. O si per *Bouvetum* vel alium quendam amicum e Sinis impetrare posses illorum Dictionarium seu Lexicon magnum, *Hay-pien* vocant, id est, *Oceanum figurarum*, viginti vel triginta parvis voluminibus constans, quorum unum possedi, & quamvis linguæ rudis, ex dispositione libri didacticum esse cognovi; partem XVI. r̄ *Hay-pien* esse *Müllerus Greiffenbadius* me docuit. Illius suavis Bibliothecæ Brandenburgicæ largitus sum. Porro operæ pretium foret habere P. *Intorcata* opus, Goæ impressum, ubi characteris Sinici figura, lectio & expositio tradita fuit. Hunc librum, ut postea cognovi, casu deprehendit *Andreas Müllerus*, atque ex eo scientiam suam Sinicam hausit; verum, ut erat caput planè heteroclitum, illud dissimulavit, nec mihi, utut amico familiari, significare voluit, unde cognitionem illam hausisset. Num *Christianus Menzelius* adhuc in vivis sit, huc usque non cognoscere potui. *Maraccii* opus in Alcoranum absolutum esse, ex literis *Magliabechii* procul dubio intellexisti. De *Sikio*, quis sit, quidve agat, vel egerit, plura scire volui, quæ mihi nondum nuntiasti. Glossarium P. *Thomassini* nondum vidi. Omnes autem linguas ex Hebræa derivare, irritum sanè erit studium. Aliquas autem voces ab Hebraicis derivari posse, istud est, cui non repugno. Quid P. *Bonjour* Augustinianus, ad monita mea responderit, valde scire desidero. Jam ut plenè tibi satisfaciam, novissimam epistolam tuam, die 28. Februarii datam excutere paro. Quod *Bernhüder* sit *porcorum custos*, tibi non videtur carere probabilitate; mihi secus. *Meierus* non dicit porcorum, *Schweins Hüter*, sed verrium, *Bärnhüter*, custos. Ubi quæso datur grex verrium? In qua regione, & cur marium, hoc est, hircorum, arietum, verrium, grex cogitur, ut illi custos præficiatur? neque enim nos dicimus *Schaf-Ziegen-Schweins Hüter*, sed *Hirte*. Plura dixi nuper, & nunc plura ad *Meierum*. *Ond*, ais, etiam Germanis *malum*. Quæso qua dialecto? Proximè locum ex Chronico *Herzogs* mittam, ex quo clarè constabit, *Glenen* esse lancearios, & *Glen* lanceam, per metonymiam signi pro signato. Sicuti *Thegan* in *Otfrido* pro milite, vel equite, a *Tegen*, gladius. Hisce vale. *Dabam Francofurti die 9. Aprilis 1698.*

XXXIX.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

De Adami Bohorizh literatura Latino-Carniolana, significatu vocabulorum Glenen & Tegen, Oratione dominica peregrinis expressa characteribus & de derivatione vocum regulis justis definienda.

Cum ante octiduum, die videlicet 9. hujus mensis, literas ad te dedissem, duo adhuc scribenda supererant, videlicet: *Adami Bohorizh* librum *de Latino-Carniolana literatura ad Latinæ lingue analogiam accommodata, unde Moscoviticæ, Ruthenicæ, Polonicæ, Bohemicæ & Lusaticæ lingue cum Dalmatica & Croatica cognatio facile deprehenditur. Wittebergæ 1584. in 8.* (hic est libri titulus,) reperi hic in bibliotheca publica. Reperi jam veram significationem vocis *Glenen*, a te desideratam. *Lanceam* significat, & per metonymiam signi pro signato, *lancearium* quoque *ein Speerreuter*. Nam *Lanze* peregrinum est. Idque clarè patet, in *Chronico Allatico, Bernhardi Hertzogs*; ibi (*libro IV.*) p. 87. *der ritte zu ersten mit einem GLENEN*, & mox: *dass die beyden Glenen zerbrochen &c.* (dd) quo nihil clarius dici potest; & mox de hastatis quoque intelligi: p. 102. sequitur: *auch viel andere Herren auf 2000. Glenen*, bis mille hastati numero &c.

Eadem ferè ratio & figura est vocabuli *Tegen*, gladius, hinc *Tegan*, gladio accinctus, armatus; miles vel eques, ut hodie accipitur: Apud *Osfridum* ante 800. annos legitur:

*Tegan sin in waru, & paulo post
In manigern Zalu,
So Gotes tegane gezam.*

Wie es Gottes Ritter oder Helden geziemete.

Scriptit mihi fratris filius, *Henricus Wilhelmus Ludolfus*, se hortatu tuo voluisse conscribere orationem Dominicam, lingua *Mugalica & Tangutica*, ex ore famulorum *Mugalicorum & Tanguticorum*, qui populi sunt inter *Chinam & Siberiam* colentes, quos secundus *Legatus Russicus* secum habuerat; verùm illos in prima statim petitione hæsisse, neque verbum *sanctificetur* exprimere potuisse, atque sic irritum ejus fuisse laborem. Idem contigit ecclesiæ ministro in promontorio *Bonæ spei*, qui *Hotentotica* lingua orationem Dominicam ad me misit, qui pro *sanctificetur, beatus, vel felix sit*, ponere coactus fuit; cætera tamen misit, quod & fratris mei filium facere decebat. Interrogavisti me nuper, quid fortè a *Bouveto* vel alio *misionario*

[(dd) Et *ibidem* lib. II, p. 87. da rannten alle mit scharpfen Glenen.

tionario Sinenſi peti poſſit? Ego optarem Orationem Dominicam, omnium magni hujus Imperii linguarum videre. In lingua Mandarinica quidem exſtat, aſt cum tot aliæ ibi dentur linguæ, velim earum ſpecimen videre. Miſi nuper epiſtolam ad *Meierum* Bremenſem, apertam, rogans, ut lectam, & obſignatam mittere velles, quod nunc factum puto. Id tantum illum hortari volui, ut vellet aliquas formare regulas, in notatione & derivatione vocum variarum linguarum obſervandas, quas pluribus exemplis inter ſe ſimilibus ſtatueret. Nam pro lubitu fingere & excogitare derivationes ſine exemplis, irritum proſecto & vanum foret; ſicut ille, qui *Herus* a *Κήριος* derivabat, mutata *K* in *H*, *y* in *e*, terminatione Græca *ος* in Latinam verſa: neque alia exempla talis mutationis dare poterat. Hiſce finio, teque diu quàm optimè valere jubeo. *Francofurti die 16. Apr. 1698.*

XL.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Nova literaria.

Post meas die 9. & 16. Aprilis ad te datas literas accepi incluſas a *P. Papebrochio* cum elucidatione hiftorica *Actorum*, quam hic tibi mittere volui. Accepi nuper Lutetia Pariſiorum *Portrait Historique de l'Empereur de la Chine, préſenté au Roi par le P. J. Bouvet, Miſſionaire de la Chine.* (ee) Exſpecto reſponſiones & judicium tuum ad binas meas literas, quibus alias Bremam ad *Meierum* incluſeram. *Tenzelius* nunc meo hoſpicio hiſce nundinis fruitur, ſeque tibi officioſè commendat. Vale. *Francofurti die 28. April. 1698.*

XLI.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Similis argumenti cum proximè præcedentibus.

Literas meas perbreves cum elucidatione hiftorica *Actorum Papebrochii*, cum nupero tabellario procul dubio accepifti. Nunc, quia alias de *P. Bonjour* mihi miſiſti, teque meas reſponſiones ad illum curaturum obtuſiſti,

T 3

tulifti,

(ee) Prodiit Hagæ Comitum 1699. 12mo.

tulisti, rogo, ut earum sedulam curam geras; quam ob causam tibi illas mittere volui sub sigillo volante, ut meam exinde perspicere possis mentem. De voce *Glenen* quod mecum consentias, gratum est. Agnatus meus *Henr. Wilhelm. Ludolfus* non amplius Halæ Saxonum agit, sed Venetias profectus est. Negotium autem & studium suum mihi nondum indicavit. Vale. *Frankfurti die 3^o Maii 1698.*

XLII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De successione Hispanica, & Legato Regis Poloniae in Galliam.

Ex responsione.

NUllum nunc majus negotium habet orbis Christianus, quàm successionis Hispanicæ. De qua utinam Rege adhuc vivo aliquid certi constitutatur, omnibus Principibus Christianis id communi sensu connitentibus: sed fatale nobis est, quod alio sensu jussit Christus, crastinum non curare. Heri discessit hinc Legatus *Augusti* Poloniarum Regis, qui defunctus hic solemnibus, in Galliam pergit, ut quicquid superest fribusculorum tollat. Est Dominus *de Jordan*, præfectus vigiliarum generalis, qui olim in nostra militia egit, postea Suecis operam dedit. Est enim, si bene memini, nobilis Polonus, (ff) sed cum in Polonia sint ejusdem nominis eorundemque insignium viri ordinis equestris, pro Polono jure meritoque habetur, ut ipse mihi confirmavit. Cum verò, quantum scio, religioni Protestantium sit addictus, vereor, ne malevolis, præsertim in Polonia & Gallia, occasionem ea res præbeat, Regem traducendi. Certè cum nuntiorum Pontificiorum auxilio Rex non in Gallia minùs, quàm in Polonia indigeat, vereor, ut eum qui in aula Gallica agit, habeat legatus facilem fati & obsequentem. Gaudeo interim Regem non usque adeo zelo inconsulto pontificiorum indulgere, ut homines probos, fidos, diversæ religionis, a negotiis removeat.

(ff) Ita apographum, ex quo hæc describo, habet. Sed legendum potius: *Hollatus*. Ex *Holfatia* enim *Carolus Gustavus*

Jordanum, de quo hic sermo est, oriundum fuisse testatur *Gauhe* in *Adels Lexico* T. I. p. 942.

XLIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

*De Bohoritii literatura Latino-Carniolana, etymologia vocis Tzar,
& variis negotiis publicis.*

Impetravi tandem *Adami Bohoritii* librum; sed titulo suo parum respondentem: nihil aliud enim est, quàm mera grammatica Latino-Carniolana, cum longa præfatione, quam legere non vacat. Mittam tamen Lipsiam ad *Frider. Bened. Capzovium*, amicum meum, a quo petere illum poteris; nisi secus scribas, vel aliam viam indices. Causam tuam simul agere me oportuit. Erat enim, qui te incusabat, quod libros non tempestivè remitteres. Cùm casum dare non potuerit, obtrectationem vocavi, teque promissurum restitutionem, in nundinis proximis autumnalibus. Igitur chirographum in hunc sensum peto statim ac acceperis. De lanceis & gladiis nos convenire placet, nec minùs jucundum lectu fuit, quod de mille equis, e quorum numero Gallus quidam fuit, narraſti. *Meierus* nihil respondet, nec tu iudicium ullum profers de meis circa etymologiam & harmoniam quarundam vocum cogitatis; cùm tamen iudicium tuum semper maximi faciam.

Si propterea adversarii odio plus quàm Vatiniano persequendi sint, quod sententias nonnullas, salutis animarum perniciosas foveant, pacem neque ecclesiasticam neque politicam unquam habebimus. Sed an Christianos deceat, dissentientes in religione odisse, pronuncient illi, qui charitatem proximi tam impense commendant. Ego putaverim, & charitatem Christianam & solidam refutationem falsæ & periculosæ doctrinæ, una consistere posse. Hisce scriptis, pervenit ad me ultima tua, die 26. Maii data. Epigramma simul transmissum placet. Pro novis, quæ retulisti, gratias ago.

Tzar (id est veteri lingua Slavonica, Rex, exempli gratia, *Tzar David*, *Tzar Salomon*, *Tzar Herodes*, ut infrunitum planè sit commentum, *Cæsarem* inde exsculpere. *C*, dum scribitur *Czar*, a Polonis fuit additum, ne dicerent *zar*, more Gallorum; illis vero *ca*, *ce*, *ci*, *co*, *cu*, sonat nobis *za*, *ze*, *zi*, *zo*, *zu*, & Polonus rectè legeret & pronunciaret *Câr*, *Zaar*. Si verò sic scripsissent, omnes reliquæ nationes legissent *Kâr*. Hæc causâ pravæ scripturæ in parenthesi dicta esto.) nunc Amstelodamum abiit, & jam Neomagum venit. Propiora nova de illo procul dubio e vicinia habetis. Dresdæ illum expectant, regio cultu illum excepturi. Cæsarem tractatus pacis cum Turca exorsurum agrè fert. Scribunt, missum esse aliquem, qui cum ipso sermones sociaret, atque causas talis pacificationis redde-

redderet. Quid futurum sit, cum Viennam venerit, in tempore comperiemus. Ex Sinarum regno, modo illa obtineamus quæ nuper petii, satis habebimus. *Nouveaux mémoires sur l'Etat présent de la Chine*, (gg) Tomis II, procul dubio vidisti. En epistolam Domini *Barbesieux* impressam, quæ num satisfactura sit Argenteratensibus, nescio. Vale. *Francofurti d. 24. Maii 1698.*

Copie de la Lettre de Monseigneur le Marquis de *Barbesieux*, Ministre d'Etat, écrite à Monsieur le Marquis d'*Huxelles*, Chevalier des Ordres du Roi, Lieutenant General de ses Armées & Commandant en Chef pour Sa Majesté en Alsace. En date de Marly du 25me Avril 1698. Imprimée à Strasbourg chez *Adolf Giesse in 4t.* (hh).

Le Roi a vû par la Lettre que Vous m'avez fait l'honneur de m'écrire le 14me de ce mois, & l'état qui y étoit joint des Familles que l'on prétend qui doivent sortir de Strasbourg, allarmées des mauvais discours qu'on leur a tenus, que la plupart des habitans de cette Ville croyent, que Sa Majesté n'est pas dans l'intention d'observer exactement à leur égard, ce qu'Elle a bien voulu leur accorder par leur Capitulation, & que vous croyez que pour détruire les préventions qu'on leur a pû donner sur cela, il seroit à propos, que le Roi leur accordat un renouvellement de la dite Capitulation. Sa Majesté a paru surprise, que des gens, que Vous même citez comme ayant de l'esprit, puissent s'allarmer de pareils discours: s'il y avoit des exemples de renouveler une Capitulation accordée depuis long-temps, je suis persuadé qu'Elle l'auroit fait avec plaisir: Cependant, comme cela ne s'est jamais pratiqué, Elle m'a ordonné de vous écrire, que son intention est, que vous les assuriez de sa part, qu'Elle ne veut point les troubler en rien de ce qui est porté par la dite Capitulation, & que, pourvu qu'ils continuent à vivre comme de fidelles sujets doivent faire, Elle leur donnera dans les occasions qui se présenteront, des marques de sa bonté. Si vous croyez que la copie de cette Lettre, que je vous écris, ou l'original leur fasse plaisir à garder, le Roi trouve bon que vous la remettiez à Messieurs du Magistrat, & je ne doute point, après ce que je vous mande par ordre de Sa Majesté, qu'ils ne ferment les oreilles aux mauvais discours qu'on leur tiendra. Je suis &c. Signé DE BARBESIEUX.

(gg) Auctore Ludovico le Comte S. J. Parisiis 1696. 12. & Amstel. 1698. 12mo edita.

(hh) Addita erat versio Germanica; quam hic repetere, superfluum foret.

XLIV.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De etymologiis vocum quarundam Germanicarum & Russicæ Tzar, de Barbessielli epistola, aliisque negotiis publicis iudicium.

GRatias ago, quod *Adami Bohoritii* librum impetrare mihi voluisti. Qualiscunque est, videre eum non ingratum erit. Lipsiam si mittas, rem gratam facies, ut ibi scilicet tradatur Domino Licentiato *Menckenio*, cui non deerunt ad me mittendi occasiones. Restitutionem in nundinas proximas vestras, & promittam & præstabo.

Putabam me tibi sententiam meam perscripsisse ad etymologias nonnullas tuas, quibus plerisque assentior, & subinde aliqua aspergo. Nescio an dixerim, *Hübsch* mihi etiam videri *hübisch*: sic enim in veteribus libris scribitur, & est *höfisch*, *aulicum*, ut *cortese* ab aula *corte*. Sane *Hubam* idem esse quod *Hof*, licet ibi *Hof* significet *curtem*, ex veteribus chartis constat. Redit etiam in mentem, quæsisse te, qua Germaniæ dialecto velim *ond* significare *malum*, ut Septentrionalibus. Ego verò ita in communi reperio. Nam dicimus ANDT, *es thut mir andt*, id est, *etwas ungelegen, ungewohnt*. Sic & *abnden*, *ominari*; nempe omnia insolita in omen accipimus. Solent autem insolita etiam incommoda esse. Adde, *Bidermann* mihi videri esse idem, quod *bidervemann*. Est autem *biderve* vel *bederve* in veteribus libris & chartis, idem quod *aptus*, *utilis*, *probus*, *tüchtig*; *dessen man bedarff*. Et invenio in vicinia etiam rusticos adhuc ea voce uti. Habui aurigam in servitio, qui dicebat, *es ist ein bederve Pferd*, de equo bono. Scio *Tzar* apud Russos esse Regem, & dici illis: *Tzar David*, *Tzar Salomon*. Vellem tamen inquiri nonnihil in originem vocis, quo melius refutentur illi qui *Czar* a *Cæsare* derivant. In Lexico Polonico *Constantini Szynwid* Jesuitæ, *Warsaviæ* iterum edito 1641, reperio: *Car*, magnus Dux; *Carograd*, Constantinopolis; puto vocem esse hodie obsoletam. Epistola *Barbessielli* valere potest vivo ac vigente ipso, ac Rege; apud successores & posteros quam vim habere possit, quivis perspiciet. Et quamquam Capitulatio semel facta, renovari non solet; erat tamen nunc gravis causa renovandi religionis indulgentiam: nam antea jus in Argentoratum in suspenso erat, & eo valebat capitulatio. Nunc omni urbis jure in Regem translato, dici potest, non ex capitulatione cum urbe, cujus vis exspiravit, sed ex cessione Imperii æstimandam Regis obligationem: Imperium autem in Rivicensibus tabulis, libertatem reformandæ religionis, adeo non circumscripsisse, ut disertè potiùs, eam ipsi optimam maximam in locis cæsis,

falva tantum in subditis emigrandi potestate, affirmasse videatur. Ubi D. Meierus responderit, epistolam ejus ad te mittam. Quid putas, de Circuli Rhenani directorio esse futurum? Spero Domini Comitis *Boineburgii* opera rem tandem compositum iri, etsi multæ sint salebræ. Aula Cæsarea in negotio Hispanico lentior videtur, quàm pro rei magnitudine. Commendanda est Deo causæ nostræ justitia; sed tamen & nostra nos agere, & orationi laborem conjungi Deus jubet. Equidem tecum sentio, odia inter dissentientes abesse debere; sed scis, quàm difficile sit in praxi, personas separare a causis, & moderationem justam obtinere. Plerique dicunt, se hæreses odio habere, non homines; sed ubi aliter non possunt, solent hæresin tollere cum hæretico; quem ubi, ut ipsis videtur, obstinatum vident, tanquam animal noxium & venenatum habent, quod animas veneno suo inflet, corpore omni præstantiores. Ita sentientibus non facilius persuaderi potest moderatio, quàm si ostendatur ipsis, falli eos opinione & peiores alios putare, quàm sunt. Potest sententia alicujus falsa esse, ita tamen, ut non sit tam prava & noxia, quàm alii præjudiciis affectibusque occupati, judicant. Atque ita sæpe contingit. Consistere igitur potest refutatio cum toleratione ecclesiastica facilius, quàm toleratio civilis apud prævalidos, cum opinione intolerabilitatis ecclesiasticæ. Quamquam, ut dixi, optem ego, & suadeam, etiam zizaniæ ferri, quoties sine magno malo evelli non potest. Et hoc imprimis faciendum, quoties data est tolerandi fides. Ut igitur concludam: utrumque tolerandi genus, quoties cum ratione id fieri potest, utiliter inculcari arbitror, majoremque esse efficaciam suadentis, ubi conjungi possunt. Vale. *Hanoveræ d. 30. Maii 1698.*

XLV.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De Origine tituli Tzar; quid per Selawim Numer. XI. intelligendum? Denique de varii argumenti novis.

Optimam occasionem nactus, *Bohoritii* librum per aurigam, qui acetum &c. in aulam vestram vexit, ad te mittendi, non dubito te illum rectè accepisse. Nomen tamen illius in fine epistolæ significabo. *Meierum* nihil rescribere miror. Scire tantum velim num agnoscat, valde incongruam analogiæ & naturæ rei esse derivationem illius vocis *Bärnhäuter*. Nam pronuntiatio, analogia, (dicimus enim de pecudibus *Hirten*, non *Hüter*) & res ipsa repugnat: ubi enim dantur greges verrium? *And, anden* dudum novi; sed tu scripseras *ond*; id quia Suecico vocabulo proprius

pius accedebat, scire a te volui, qua dialecto Germaniæ sic enuntiaretur.

Originem vocis **Цар** nemo non dixerit. Quod lexicon Polonicum *Szyrwidi* mihi nominaveris, gratum fuit. Operam dabo, ut mihi comparem. Quod autem ille *Car*, Magnum Ducem interpretatur, in eo profectò malè & incongruè facit: non enim significationem vocis, sed usum nobis exponit, quia vulgo appellatur *der Grossfürst in der Moscau*. Fortassis antiquissimis temporibus, antequam nomen *Tzar* assumeret **μεληδονη Κης** Magnum Principem semet vocavit, idque vicini & exteri omnes retinuerunt. *Cargorod* velim scire, ubi reperiatur pro Constantinopoli; talia rara & inusitata lexicographum allegatis firmare decet. *Szyrwidi* expositio similis mihi videtur illi, si quis vocabulum *Cæsar* expositurus, diceret *Magnus Rex*, cæteros antecellens. Hoc non est declarare, sed usum indicare. Unum oportebat facere, & alterum non omittere. Sanè lexicographi plerique, bonis præceptis lexica condendi, opus habent. Argentorato nunc scribitur, *Obrechtum* rediisse & bona nova de abrogatione teloneorum attulisse: nec non de sacris suis securos esse iussisse Argentoratenses; sed oretenus tantum, ut ex publicis relationibus procul dubio cognovisti. Profectò Rex satis causæ habuisset, mutato rerum statu, novo pacto cives illius loci exhilarare. Interrogas, quid putem de Circuli Rhenani directorio esse futurum? Respondeo: Idem, quod de cæteris nostris dissidiis. Sapienti fati.

Quæ de dissensu religionum & Christiana tolerantia atque concordia differis, in iis facillè & libenter tecum consentio. Remedia humana omnia vana & inania fore, prævideo. Deus pacis pacem duit! id unicè rogandum habemus. Cæterum non possum non casum mirabilem tecum communicare. Nosti, me vulgarem expositionem vocabuli Hebraici **ילט**, *Selaw*, coturnicem, impugnare, tanquam textui minimè applicabilem, nisi in omnibus textûs commatibus miracula fingere velis, ubi de cibo Israelitarum in deserto agitur, Numer. XI.: ea potissimum ratione inductus, quòd vetustissimi interpretes inter se dissentiant, eoque indicent, veram ejus vocis significationem in captivitate Babylonica deperditum fuisse. Cùm igitur LXX. interpretes, auctor libri Sapientiæ, *Philo Judæus*, *Ortygometram* reddant, *Josepho* autem id verisimile visum haud fuerit, & *Ortyga*, *Coturnicem* primus exponat, quem deinceps omnes vulgares interpretes secuti sunt; ego judicavi ex diversitate hujus expositionis cognosci, hos interpretes conjectura usos, adeoque eandem & mihi & omnibus eruditis licere, prout cùm ex Commentario meo, tum ex Appendice illius secunda, ubi dedita opera de locustis ago, intelligere est. Respondit mihi amicus adversarius meus, *Samuel Andrea* Marpurgenfis S. S. Theol. D. & P., non posse dici, hos modò nominatos interpretes discordare inter sese: nam *ortygometras* & *coturnices*

nices inter se non differre specie, sed tantum magnitudine; (ii) nam majus & minus speciem non variare; quidquid etiam in contrarium ex diversis auctoribus afferrem. Contigit ergo mirabiliter præterita hebdomade, ut coturnix, cavea vicini, ut puto, elapsa, in cavædio meo caperetur, mihiq; afferretur viva; idque flocci faciebam. At post tres horas, ab amico patritio, aucupii perito, affertur mihi inopinato ortygometa, quia audiverat, me cupidine illius visendæ vehementer teneri. Miratus sum, utramque avem mihi minimè expectanti, eodem fere tempore, quasi fato offerri, ut comparationem utriusque instituere quirem. Et sanè hanc diversissimam ab illa deprehendi. Inter alias multas differentias etiam pabulo differunt. Ortygometa nolebat vesci tritico, milio, &c. sicut coturnix. Casu cogitabam de lumbricis & ovis formicarum, quibus eam adhuc alo. Hæc sunt, quæ pro amicitia nostrâ te celare nolui. Vale. *Francofurti d. 18. Jun. 1698.*

XLVI.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De Szirwidi Lexico Polonico; derivationibus vocum nonnullarum Germanicarum, & de consiliis irenicis.

Undecunque *Szirwidus* habeat suum *Caragrod* pro Constantinopoli, non de nihilo esse oportet. Dictionariolum est conscriptum in usum puerorum, Latinæ, non Polonicæ linguæ discendæ, gratiâ. Itaque mirum non est, si auctoritates non sunt adjectæ. Non est exigendum ab autoribus, quod instituto eorum non convenit. Singulâ profectò casu vobis disputantibus de ortygometræ & coturnicis differentia, utraque avis velut cælo delapsa supervenit: Et gaudeo, naturam pro te contra Dominum *Samuelem Andream* testimonium dicere. Mihi certè conjectura tua de locustis mirificè semper placuit. De derivatione vocis *Berenheuter*, credo Dominum *D. Meierum* tibi responsurum. Equidem, non nostrum inter vos tantas componere lites. Et vitula tu dignus & hic. Utraque opinio probabilitate; *Meieriana* etiam ingenio non caret. Nam etsi verres de porcis castratis dicantur; ipsa tamen vox porci, & *eber*, indicare videtur, Germanicum

(ii) Differentiam *ortygometrarum* & *coturnicum*, non quidem observarunt veteres historiarum avium scriptores, veluti *Willughbeius Ornithol.* lib. II. p. 122. & *Raius*, in *Synopsi Method. avium* p. 58. accuratiores tamen sunt & cum *Ludolfo* nostro consentiunt recentiores, *Car. Lin-*

neus in *Syst. nat.* p. 25. & 28. & *Cel. Mæringius* in *avium generibus* p. 54. & 73. quorum uterque *ortygometas* ab *Slopacium* ordinem, *coturnices* verò ad *Gallinarum* genus retulit, observata insigni quæ inter illas intercedit diversitate.

manicum antiquum & topicum *ber*, non ad castratos tantum porcos restringi. Et quod vos Thuringi *bieter* non *hiiter* dicitis, aliis provinciis præjudicare non debet. Itaque *Meierianam* derivationem refutatam non puto. Sed tamen nec probatam hæcenus arbitror, ita ut pro certa haberi possit; nisi ille ostendat, revera alicubi aut aliquando *berenhüder* dictum, qui aliis *schweinshirt*. Hoc enim confecto palmam ipsi haud dubiam deferrem, ita ut veteres, quem porcorum custodem, id est, vilissimæ conditionis hominem convicio dicere volebant, *berenhuder* dixerint. Ond pro malo, tanquam septentrionalis vocabuli, mentionem injeceras. Dixi nec a nostro Germanico abesse; de dialecto peculiari, aut differentia inter *a* & *o*, quæ hic nullius momenti est, ne cogitavi quidem; cum & Bavari & alii superiores Germani vocalem *a* vel *camez* ita pronuntient, ut *o* quàm *a* vicinior videatur. *And thun*, *abnden*, tibi ignota esse non potuere, sed ut solet, in mentem tum fortasse non venire. Quia de veteribus paulo ante dictum est, adjiciam, derivationem vocis *Hahnreh* etiam ex inferioris Germaniæ dialectis petendam videri: comperi enim *reh* vel *ree* in vicinis regionibus usurpari pro *cantherio*, & distingui in *stute*, *hengst*, *reh*. Fortè originarie *reh* significat impotentem. Nam si bene memini, alicubi dicitur *er hat sich reh geriten*, id est, *stumpf*, *müde*, *mat*. Porrò hinc manifestum est, *hahnreh*, fore pene ad literam gallum castratum seu caponem. Non quasi hodie tales sint, qui *hahnrehen* dicuntur; sed quòd uxoribus subsidia quærentibus, talium instar habeantur. Judicium tuum de his mihi gratum erit, quemadmodum & de *hübisch*, *cortese*, *elegant*, pro *hübisch*, & de *biderueman* pro *biederman*.

Spes aliqua est conservandæ quietis, si Deus Regibus Hispaniæ pariter & Magnæ Britanniæ vitam adhuc diu producat. Alterutro amisso, sed maxime Hispano, verendum est, ne omnia susque deque vertantur.

De *irenicis* spes, quas nobis facimus, longinquas esse, fatendum est; & tamen quatuor, quinque aut sex hominum voluntate res omnis confici posset. Fac enim, Pontificem Romanum & Imperatorem & Regem Galliæ ab illa parte, & Principes aliquot magnos a nostra, rem serio velle, habenda esset pro confecta. Et corda Principum scimus esse in manu Dei, sed ea seculi nostri felicitas non erit, quod ad finem utique properat. Nescio an futura sit sequentis, cujus historiam nemo nostrum leget. Præsentis a te conscriptam, videre aliquando valde gestio, quippe profectam a viro pariter doctrina & rerum usu commendabili, qui & novit multa, & quæ explorata habet, ritè exponere possit: denique affectus privatos potiores non habeat amore veritatis. Vale. *Dabam Hanoveræ d. 26. Junii 1698.*

XLVII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Grammaticam Amharicam dono mittit, & de gente Hermannii Comitis Palatini Rheni sciscitatur.

PLurima eaque sat gravia negotia intervenere, quo minus novissimis tuis, quibus chirographum pro *Adamo Bohorish* mihi misisti, tempestivè responderem; idque penes bibliothecarium hujus reipublicæ, usque ad nundinas vernaes deponam. Ut autem rationem studiorum meorum, tanquam amico veterano, tibi reddam, en! duas schedas typographicas, ex quibus & initium & finem opusculi grammatici, linguam *Amharicam*, quæ *Habessinorum* vernacula est, docentis, tibi mitto. Mundum exemplar proximis nundinis accipies. Impulit me ad id edendum, legatio *Batavorum* ad Imperatorem *Æthiopiæ*, qua velut porta aperietur ad amicitiam & commercia cum præclara ista natione instituenda. Plura proximè. Dominus Præses *Goertzius* (kk) enim festinat. Vale diu & feliciter. *Francfurti d. 5. Sept. 1698.*

P. S. Est hic insignis antiquitatum Germanicarum studiosus, *Tollnerus*, qui origines Palatinas paulo curiosius molitur, & patrem atque familiam *Hermannii*, Comitis Palatini Rheni, anno 1156. defuncti, cujus generis circa illa tempora multi fuerunt, nimis anxie jam a sex mensibus quærit. Tandem illi venit in mentem, cum tu, vir clarissime, per Europam scientiâ antiquitatum nostrarum, reliquos omnes antecellas, te se in hoc juvare, atque majores illius *Hermannii* quæsit, sibi ostendere posse. Quodsi id facere possis, & me, & illum tibi reddis obligatum. Iterum vale.

XLVIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Etymologica tradit. Historicos sæculi XVII. sibi indicari rogat, & pauca ad negotium irenicum ac rempublicam spectantia addit.

EPistolam tuam die 26. Junii ad me datam, post meam Domini *Goertzii*, præsidis vestri famulo traditam, inter chartas meas latentem inveni, ad quam, licet nihil momentosi contineat, ut desiderio tuo satisfaciam,

(kk) Est is Illustrissimus Fridericus Guilielmus L. B. de Goeritz dictus Schlidsee, Serenissimis Ducibus & Electoribus Brunsvico-Luneburgicis a consiliis intimis, & collegio,

quod redituum dominicorum curam gerit, præfectus, qui anno 1728, rebus præclare gestis, octogenario major, occubuit.

ciam, breviter respondebo. *Boboritzium* pro lubitu usque ad vernaes mundinas retinere potes. De vocabulo *Carogrod* desideravi auctoritatem, quod unumquemque, qui novi vel insoliti quid ponit, facere decet; quamvis non ad institutum illius primum pertineat. Quod sententiam meam de locustis probes, ut multi alii, placet, nec dubitandum est, quin tandem communis fiat opinio, non minus ac illa de novo systemate mundi & circulatione sanguinis, primo pro tam paradoxa habita.

Utramque sententiam de derivatione vocis *Berenbaeuter* probabilem tibi videri scribis, & tamen *Meiero* palmam haud dubiam te delaturum ais, si probaverit, vocem *Bernbaeuter* Germanis idem fuisse ac *Schweinbirt*, & appellationem istam *Schweinbirt* aliquando infamem fuisse? quo probato, & ego ipsi palmam facile concedere possum; ut taceam, verrem, *ein baere*, in Germania nuspiam, quod ego sciam, pro porco castrato accipi. Phrasen *anden* & *andihun* mihi sunt notissimæ: scio etiam rusticos Bavaros o, pro a pronunciare. Sed ego putabam honestiores Germanos alicubi Suevicæ elocutioni convenientius *ond* pronuntiare, ut tua quidem epistola præ se ferebat, non enim de rusticis argumentamur, cum de originibus vocum agimus. Sententia de derivatione vocis *Hanreh* non placet: si enim *reh*, significat equum castratum, certè ad gallum non quadrat. Docendum erat *Reh*, castrationem indicare, & adjectivum esse, vel originem suam a verbo trahere. Cur enim potius *Hanreh*, quam *Bockreh* vel *Ochsenreh* diceretur? In notationibus vocum cavendum est, ne ex similitudine litterarum, vel denominatione alicujus rei sola, sine affinitate aliquorum nominum, verborum vel phrasium, applicatio ad alia, compositione incongrua fiat.

Accessionum historicarum tomus secundus mihi in triplo quidem allatus fuit, sed sine indicio aut nota in titulo, ut moris, ad quem duo exemplaria pertineant. Pro meo gratias maximas repeto.

In conscribendis nostri sæculi annalibus, usque ad annum trigessimum octavum perveni. Cum verò auctores sequentium temporum deficient, peramicè te rogo, ut si bonos auctores nosti, qui ab hoc tempore de quacunque terrarum parte scripserint, eos mihi indices ac mecum communitices.

De republica differere supervacaneum puto. Vera prædicas, in fanitate Regum Hispaniæ & Magnæ Britanniæ sitam esse pacem Europæ. Quatuor aut quinque hominum voluntate confici posse pacem ecclesiæ ais. Immo unius, si Deus annueret, scilicet Pontificis Romani: sin minus, innumerabilium, Cardinalium, Archiepiscoporum, monachorum, immo & vulgi. Sed vana sunt ista vota. Meum, quod de valetudine tua concipio, efficacius fore puto. Vale. *Francofurti d. 6. Sept. 1698.*

XLIX.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

De Ludolphi *grammatica Ambarica*; Toelneri *historia Palatina & jure venandi nobilium*. Addit nova ex *Æthiopia & India*.

BInas uno pedatu a me accipis literas; & alteras quidem dudum scriptas, sed nunc demum rursus ex schedis erutas. Interea ad me venit *grammatica Ambarica*, pro qua gratias ago singulares, teque diligentiae, iudicii ac zeli denique laudandum censeo, quod in paucis rempublicam curas, labore praesertim, qui nec per se gratus est, nec in vulgus plausibilis: sed mercedem praestabit conscientia, & summus rerum curator Deus, & fama apud posteritatem. Nam spes est, opus tuum aliquando fructum facere posse, si divina benedictio accedat. Utinam juvenes *Heilingos* illuc mittendos haberes, inque eam rem sumtus suppeteret respublica! Sed id populus curat, scilicet! Quantum intelligo *Amharica* lingua & *Habessina*, quam vulgo *Æthiopicam* dicimus, sola differunt dialecto. Fuerit ergo & ipsa *Arabica* propago. Vellem ego, quicumque characteribus in vulgus ignotis aliquid edunt, adjicerent scripturam in notioribus literis, quales *Latinae* pro occidentalibus; *Hebraicae* pro orientalibus. Nunc iis, qui nondum initiati sunt, duplicatur labor quasi duplici vallo, & characterum, & linguarum. Me certe nihil magis ab his absterruit. Rationis foret, initia omnia reddi, quoad fieri potest, plana, utendo jam notis, cum licet; postea rudimenta linguarum affecutus, facilius suppleret characteres. Tabulam tuam literarum, ex variis linguis potestates complexam, diuque promissam, avidè jam dudum expecto, laboremque censeo simul & gratum in publicum, & multis profuturum. Dominus *Menzelius* Archiater *Serenissimi Electoris Brandenburgici*, notitiam ad me misit *clavis* suae *Sinicae*, quam nihilo *Mulleriana*, nobis olim frustra promissa, inferiorem profitetur. Quod si ita est, gaudebo, non omnia, quae a mirabili illo capite sperabamus, intercedisse aut abolita flammis cineri incubuisse.

Doctissimus *Toelnerus*, cujus ad me misisti schediasma de origine veterum quorundam *Palatinorum Rheni Comitum*, mihi non parvum operae pretium fecisse videtur. Nec dubito, sic stadii litterarii decursum inchoantem, multa in progressu praecleara praestitutum. Itaque & tibi, vir amplissime, & illi, pro communicatione gratias ago. Velim esset ad manus, quo possim juvare haec ejus studia. Habemus sane diplomata *Henrici Ducis Saxoniae & Comitum Palatini ad Rhenum*; sed ego nunc ita distractus sum, ut conquirere non possim. Hoc enim autumno mutavi aedes; omnia reordinaturum supervenientia extra ordinem negotia interturbavere; deinde
hiems

hiems oppressit. Itaque vix demum vere proximo potero redire in gratiam cum meis chartis. De tempore mortis & aliis rebus hujus Principis non nihil & nos sentimus difficultatis, (II) atque illud inter cætera turbat, quod Bavarus jam ante matrimonium cum filia *Henrici*, se Palatinum Rheni scripsisse invenitur. Suspicio *Fridericum II.*, *Otoni IV.* oppositum, *Henrico*, *Otonis* fratri, conatum auferre Palatinatum & Baviaræ Duci contulisse verbis, nam in ipsa frustra fuit, litem autem matrimonio fuisse sublatam. Origo Bavaricæ gentis meretur in clariore luce collocari, eaque cura foret *Tohero* tuo digna. Spero, ipsi occursura in *Alberico* meo non pauca ad rei genealogicæ profectum, atque inde vicissim redituram ad me utilitatem; sed & Chronologus Saxo meus non pauca habet uberius, quàm *chronicon sereni montis* a *Madero* editum. Habetis nunc apud vos *Obrechtum*, doctrina non minus quàm dignitate insignem virum, cui vereor, ut vacet proferre in lucem, quæ possint augere doctrinam. Is cum tam diu Argentorati in potestate habuerit archivum Palatinum & Camerae Imperialis acta, thesauros inde eruere potuit ad historiam illustrandam, nec dubito usum occasione & voluntate Regis, & habuisse ad manum viros doctos, quorum diligentiam adhiberet, sed vix hæc liquido profitebitur, vobis verò cum eo subinde agentibus facillè transparebunt, agnoscenturque per ambages. Suspicio & *Schilterum* nostrum, virum præclarum, manus admovisse, idque etiam valde velim. Nam ille & vult & potest uti.

Amicus quidam doctus historiam juris venandi excutere aggressus est. Putat ille libertatis antiquæ vestigia multis locis diutissimè & penè usque ad viciniam superioris sæculi superfuisse. Imperatorem Principesque olim forestis suis dominicis, in quibus banniebant feras, quod *Wildbann* hodie vocant, fuisse contentos, ubi venatione aliis fuit interdictum; sero autem demum fuisse receptum, ut prohiberentur homines, præsertim liberi prædiorum domini, quos hodie *nobiles* vocamus, in suo venari, cujuscunque generis feras. Mihi valde variatum videtur, sed rem tamen inquisitione dignam, & de qua optarem audire celeberrimi *Schilteri* sententiam. Illud facile crediderim, antiqua prædia equestria habere fundatam intentionem, ut concessionem ostendere opus non habeant, sed nisi consuetudo regionis obstet, aliudve actum sit, originario jure utantur. Sed nolim aliquid certi pronuntiare, re nondum fatis discussa. Exstat prohibitio quædam 2. *Feud.* 27. *Carolus Magnus* ecclesiæ *Osnaburgensi* jus Foresti concessit in silva *Osnigge*, consensu potentum regionis, ad exemplum Foresti *Aquisgranensis*. Simile

Tom. VI.

X

jus

(II) Quæ de fatis hujus Principis hæctenus ex veterum chartis erui potuerunt, plenissimè exposita leguntur a *Leibnitio*, ejusque, in munere historiographi *Brunsvico-Luneburgici* successoribus dignissimis, *Jo. Ge. ab Eccard* & *Jo. Dan. Grubero*, *Orig. Guelphic.*

T. III. p. 183. nec non ab *Illustri Viro*, qui hodie provinciam eandem summa cum laude administrat, uinam ad seros usque annos! *Christiano Ludovico Scheidio* in *Præf. T. cit. Orig. præmissa*, p. 54. 199. & p. 61. 199.

jus concessit *Otto Magnus* Trajectinæ ecclesiæ, per totum pagum, quem vocat, Forestalem. Et interdixit omnibus, venatione aprorum, cervorum, & bestiarum quæ vocantur *Helo* vel *Schelo*, (mm) præterquam consensu episcopi. Quænam sint illæ bestię, nemo hæctenus divinando assequi potuit & vicini ipsi hodie ignorant.

Historiam eorum, quæ agis, ut lucem inferas in Æthiopiã Habessiniam discere gratum erit. Nam subinde de his aliqua ad me referunt amici, sed minus comperta. Audivi etiam *Pignatellum* Pontificis cognatum, a Rege Angliæ & fœderatis Ordinibus commendaticas obtinuisse literas ad Gubernatores per Indiam orientalem, ut ad Persas, Magores & Æthiopes iter faciat. Sed & Secretarium congregationis ad propagandam fidem institutæ Roma ad te scripsisse, ut disceret aliqua rerum Habessiniarum: præterea ex Batavia Indorum missos ad Regem, ut firmius aliquod commercii vinculum necteretur. Hæc qualia sint, non rectius, quàm ex te ipso discemus: quo loco etiam sit causa Palatina & quo se inclinet, facilè coram perspicias. Adde epigrammata duo, in futurum Regis nostri matrimonium: me jam remissiore *Apollo* vetat majora tentare. Vale. *Hanovera* d. 8. Dec. 1698.

L.

LUDOLFUS LEIBNITIO.

Post finitos sæculi XVII. annales sese otio & pietatis studiis daturum significat. De Coptica lingua quædam refert & laborem conficiendi tabulam alphabeti harmonicam ab amico ipsi demandatum, modestè recusat. De etymologia vocabulorum Baernhaeuter & Hahnre differere pergit; denique indicari sibi petit auctores historiæ Orientalis recentiores.

IN ære tuo fat gravi me esse fateor: nam annus ferè est, ex quo nihil ad te literarum dedi. Dabo tamen operam ut cum fœnore exsolvam. Si non satisfecerim, acceptilationem ab æquitate tua exspecto. Assiduus jam sum in elaboratione annalium sæculi nunc præteriti. Iis finitis profecto nihil superaddam, atque residuum vitæ meæ totum quieti, folique pietati dabo; non quidem Pietistarum, uti nunc audiunt, more, qui sacris novis student, concordie ecclesiasticæ admodum adversis; dum doctrinam impugna-

(mm) De his bestiis, quas nomine tantum inter se diversas, & alces fuisse conjicit, vide plura differentem Nic. Hier. Gundlingium, in *Gundlingian*, t. XXIV. p. 450.

sqq. De vocibus Teutonicis *Elo* & *Schelo* confertur quoque meretur Jo. Leon. Frischii observatio in *Miscellan. Berolinens. continuat.* III. S. T. IV. p. 182.

pugnare nequeunt, aliorum vitam reprehendunt, occultiores, non meliores; quasi nostrates non etiam vitam exigerent, quantum humana fragilitas patitur, perfectissimam.

Sed ad literas tuas venio, quarum novissimas, die VI. Martii datas, Forsterus bibliopola vester mihi attulit, cum grato munusculo P. *Agathemeri*, specimine videlicet Coptico, pro quo summas in epistola hic inserta illi habeo gratias. Copticæ linguæ me non esse gnarum tute nosti; itaque refero me ad ea, quæ in *Commentario historiae mea Æthiopicae lib. III. c. 7. num. LXXVII. pag. 442. & 443.* de eadem scripsi, atque *Athanasium Kircherum*, imperitè profus de ingenio & origine ejus differentem refutavi, ut in epistola modò allegata vides. Qua propter lætor, dari aliquem, qui linguam istam in ipsa Ægypto deperditam, instaurare & excolere satagit. Tabulam alphabeti harmonicam, quam urges, incepti quidem, sed non perfeci. Non utilem modò, sed & necessariam arbitror, ad elocutionem genuinam nominum propriorum, in tabulis non tantùm geographicis sed & historiarum scriptoribus. Nam sæpe mihi inter exteros versanti contigit, ut vel illi me non intelligerent, vel ego illos. Exempli gratia: vocabulum *China*, sic ab Hispanis & Lusitanis, scriptum, & per Europam tali modo vulgatum, soli Angli rectè pronuntiant *Tschina*; at Galli *Schina*; Itali *Kina*; nos *China*; Batavi ex auditu *Tschina* & *Tschinesen*. Sic cùm de Habessinia mea sermo est; scribunt alii *Abex*; alii *Habech*; alii *Abescia*; quæ diversa ab imperitiis habentur, cùm sint & re & sermone eadem. Accidit mihi, quo tempore cum Habessino meo conversarer, quòd eum ex tabula vulgari *Habassie* interrogarem, ubi sita sit *Xoa*, Germ. *Xoa*; respondit, talem regionem in suo regno non dari. Post longam moram incidit mihi in mentem, a Lusitanis primam conflam fuisse tabulam: itaque rogavi de provincia *Schoa*. Ha! *Schoa*, inquit, hoc aliud est, me autem dixisse *Schoa*: & sic de aliis quam plurimis. Graviora nunc mihi incumbunt, quàm ut in talibus desudem. Denique si elaborassem, æri incidenda esset tabula, meis fortassis sumtibus, ut aliàs factum. Specimen tecum communicabo, ubi otium fuerit. Cæterum non mihi consultum visum fuit, in grammatica mea Amharica vocabulis ignotis scripturam notam addere, ut pridem monuisti; ne scilicet studium sufflaminarem eorum, qui hanc linguam addiscere avent. Habent ibi alphabetum, paucarum horarum vel dierum intervallo ediscendum, ut tali labore, alioquin fatoneratus, supersedere potuerim.

De itinere Pontificii legati in Indiam Orientalem aliquid cognovi; de Æthiopia nihil; neque istud credibile esset, etiamsi diceretur. Non Belgarum respublica, sed Gubernator Bataviæ Indicæ eo quosdam suæ gentis, non ut legatos, sed ut mercimoniorum insitores, misit; sed an salvi illuc pervenerint incompertum est.

De republica tecum confabulari opus non est; cùm de bello quod in Livonia nunc flagrat, tibi plura quàm mihi constare putem. Imitemur inter-

rim *Diogenem*, & vertamus dolium nostrum etymologicum, dum alii pugnant, & innocentes rusticos vexant. Opinionem de voce *Bärenhäuter* adhuc tueor. Sic enim a peritioribus scribitur & pronunciatur. Plebs tantum Saxonica *Bernhäuter* dicit; sicut *Rüter*: nam diphthongos *an* vel *en* per *ii* Saxonicum efferunt, ut pro *Häuser* dicunt *Hüser*, & ita porrò. De tuo *Hahnrey*, non *Hanree*, persto in mea sententia. Etenim te negare non putaverim, metaphoricè dici, non quidem de impotente, quis enim hoc plebi indicat? sed de marito adulteræ, nominis talis, ut plurimum innocente. Jam omnis metaphora supponit significationem aliquam propriam: id enim Græcum *μεταφορα* denotat. Si ergo significaveris, in qua Germaniæ provincia significet, vel unquam significaverit capum, sive caponem; tunc accedam tuæ sententiæ. Nam in formandis metaphoris & eruenda nova vocabuli origine, vocabula, sive simplicia, sive composita fingere non licet.

Literas ad *Bonjourium* datas, curare non gravaberis. Pro transmissio ejus specimine mitto tibi *Acta compromissi Palatini*, Argentorati impressa, e quibus statum illius causæ cognoscere poteris. Num *Obrechtus* Actis Palatinis & Imperialibus usus fuerit, dubito. Omnia enim fuere doliis & cistis ita inclusa & confusa, ut vix certi aliquid inde erui potuerit. Ipsum autem libellam Gallicum Aurelianensem composuisse, vel saltem adiutorem fuisse, ex eo colligo, quod Jcti Germanici allegentur, quorum alias apud Gallos exigua cognitio & æstimatio est. Nihil nunc superesse puto, quam ut prosperam & diuturnam valetudinem tibi precer atque optem. *Francof. d. 14. April. 1700.*

P. S. Cæterum te, seu amicorum ocellum celare nolo, me in annalibus meis universalibus usque ad quadragesimum quartum annum pervenisse. De rebus Persicis & Indicis auctorem nullum novi, qui circa ista tempora scribat. Si post *Martinium* (m) & *Neubosium* (oo) de rebus Sinicis historicum nosti, indica, quæso. Si ulterius perrexero, novissima tua Sinica mihi usui esse poterunt. De Japonicis quoque historiis circa tempora præsentia auctorem optarem. Ut non dubito, tomum primum jam editum, in manus tuas pervenisse, monita tua, judicio egregio pollentia, audire optarem, insequentibus tomis elaboranda. Præsentis temporis historia tædiosa, ut scribis, est, & periculosa, fateor. Eo magis decora ingenia deceret, eam ex actis & documentis publicis elaborare. Mihi in angusto labor est. Compendium enim trado, ex aliis historicis compilatum: ubi persæpe non parum æstuo, quanta fides huic vel illi negotio sit adhibenda. Verum est, me etiam Septembri superioris anni, ad Herciniam usque silvam, & ad Cheruseos ferè excurrissè. Ulterius pergere non licuit. Rex enim Poloniæ, dominus meus clementissimus tunc Lipsiam pervenerat, quem submissè salutare

(m) *De bello Tartarico* Amst. 1655. 12.
China illustrata. Amst. 1649. fol. & *Histor.*
Chinic. Monac. 1658. 4^o. & Amstel.
1659. 8^o.

(oo) *Cujus* Gebandschaften der Ostendischen Gesellschaft in den vereinigten Niederlanden, ex *Batawico* in Germanicum sermonem translata prodierunt Amst. 1699. f.

tare me decebat. Plurima ibi de statu Poloniæ in familiari cum Polonis conversatione cognovi, quæ mallem ore, quàm literis tecum communicare. Fac ut valeas, iterum atque iterum rogo. Datum ut supra.

LI.

Excerpta ex LUDOLFI literis, Romam ad P. BONJOUR datis d. 3. Maii 1698. De duobus manuscriptis Æthiopicis.

ÆThiopum circa patriarcharum ætatem supputationes, quas a me petis, possideo quidem; sed characteribus numericis scriptas, quibus, quia sæpissime fallunt, fidere non satis possum neque etiam doctum exscriptorem habui. Ast protographum Pentateuchi Æthiopici Romæ exstat in hospitio Habessinorum, juxta ædem S. Stephani, post Basilicam S. Petri in Vaticano. Illud si impetrare posses ab Eminentissimo Cardinali Casanata, ut Venetias, & porro Augustam Vindelicorum ad Hieronymum Ambrosium Langemantel, virum notum transmitteretur, faciam lubens, ut quæcunque petis accuratè accipias, & reipublicæ literariæ inde incrementum accrescat. Noli quoque negligere textum Samaritanum, cum versione Samaritana ab Hebraicis Codicibus differente. &c.

LII.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Varia philologica.

JOBUS LUDOLFUS

Plurimum Reverendo Patri F. GUILLAUME BONJOUR Tholosano,

Ordinis Eremitarum S. Augustini.

S. P. D.

Literæ tuæ superiori anno IV. Idus Februarii scriptæ tempestive quidem mihi redditæ fuerant; responsum autem distuli, partim ob negotia gravissima, partim expectatione eorum quæ in iis promiseras. Ea postquàm nunc accepi, responsonem ampliùs differre nolui. Spem tuam, de procurando mihi Æthiopico Pentateucho, decollasse non multum curo. Non enim privati studii, sed boni publici causâ illum petii: cùm verò negatus

fit, magno me labore exsolutum sentio. Cæterum gaudeo, consilium meum tibi non displicuisse; modo promissis stares, & ea reipublicæ literariæ non invideres, quæ singularia de versione Græca septuaginta virali in promptu habes, in prioribus literis tuis mihi significata. Quæ de textu Samaritano cum numeris Hebræorum conciliando paras, avidè exspecto. Nec possum, quin præclaros conatus tuos in instauranda lingua vetere Ægyptiaca laudem. Si quo cœpisti studio, pergas, longo intervallo Kircherum post te relinques. Ille enim ea peritia linguarum exoticarum, quam præ se tulit, solidè imbutus non fuit: quod in ejus scriptis passim observare est. Coptica interpretatus non est, nisi quatenus Arabica adjuncta reperit, quæ sæpe malè transfudit. De origine & antiquitate linguæ Copticæ ita differit, quasi nullos auctores Græcos, de origine Græcarum literarum, aut philologos neotericos legisset. Quam ob rem reprehensionem Bocharti in suo *Phaleg Lib. I. cap. 15.* meritò incurrit. Quæ de affinitate linguæ Coptæ ad Græcam differit, insipida prorsus sunt. Falsum est, Græcos literas suas & rationem numerandi ab Ægyptiis accepisse; nec minus absonum, quod alphabetum Græcum, Copticum dicat, cum contrarium verum sit. Rationes habes in Commentario meo ad historiam meam Æthiopicam *Lib. III. c. 7. n. LXXVII. p. 443.* & paulo ante *pag. 437.* Optarem, ut grammatica quædam Coptica, nostro more dilucidè concinnata exstaret. Nam quæ a Kirchero Copto-Arabica tradita est, incompta planè methodo exponitur. Si pro insigni tua hujus linguæ peritia eam traderes, tuis de bono publico meritis, insigne adderes augmentum. Pro tua Coptica exercitatione quæ *Nicasii* & amplissimi *Leibnitii* cura ad me pervenit, maximas tibi ago gratias. Deus Optimus Maximus tibi valetudinem prosperam duit, quo præclaris conatibus par sis. Ego Æthiopicis meis immoror. En! Psalterium Æthiopico-Latinum in lucem dare summa ope nitor, ut ex adjecto hic specimine apparet. Num fortè egyptiam & perantiquam Habessinorum nationem, ad amicitiam cum nostris Principibus colendam inducere possim, ecclesiæ & reipublicæ Christianæ usui futuram. Vale. *Pastritium*, & si qui alii me nominant vel norunt, amicissimè saluta. *Francofurti. Ibid. April. 1700.*

LIII.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Varios labores quibus per proximum tempus vacavit, significat, & ad antiquos fines, migrationesque populorum Germaniæ, nec non eorum linguam, spectantia, tradit.

FAteor me in aëre tuo, & quidem justo diutius esse: quam ob rem mihi & venia & acceptilatione opus est. Utramque libentissimè mihi tribues, ubi me & publicis & privatis negotiis distractum cognoveris. Inter alia

alia annales mei Germanici, compendium historiarum totius orbis complectentes, commercium literarum cum amicis meis turbaverunt. Ad hæc studium meum Æthiopicum, quo non tantum clarissimæ Habessinorum genti consulere, verum etiam talento, mihi peculiariter a Deo concessio, satisfacere volui, me diutissimè occupavit. Sed illud vix deposueram, cum novus nuntius Lutetia Parisiorum me denuo excitavit, ferens, medicum *Poncet*, ex Habessinia reversum literas a Rege Æthiopiæ ad *Ludovicum*, Galliæ Regem attulisse, in quibus exponendis, cum *Beroaldus*, Syriacæ linguæ Professor Regius, hæreret, me illum juvare atque loca difficiliora interpretari oportuit: qua de re, suo tempore plura. Inter literas ad respondendum sepositas, tuas reperio 28. Martii & 4. Augusti anno 1699. ad me datas. Literas *Agathemeri*, (*Bonjour*,) quarum in prioribus mentionem facis; ut & alterius viri docti, quem Βικησεδλιμίζειν, aut Ρεδβενιαζειν vereris, non amplius reperio, ut sententiam meam de iis prodere possim. Verissimè autem dicis, multos viros doctos patriæ amori indulgere, ut parum cautè antiquitates gentis suæ describant. Quid non dicemus de *Cluverio*, qui Germaniam tam latè extendit, ut ipsam Lapponiam, Finnoniam & extremas septentrionis regiones sub ea comprehendat? ut taceam crassas fabulas, quæ de cultu veri æternique Dei in S. S. Trinitate, apud antiquos Germanos usitato, nimis incautè & temerariè narrat *lib. I. c. XXIX.* Ad reliqua epistolæ tuæ prioris progredior. Falli puto eos, qui vel nos coloniam Gothorum aut Suedorum, vel illos coloniam Germanorum fuisse autumant, ac eam ob rem vocabula consona ab una vel altera natione derivari putent. Idem est, ac si quis sobrinos seu consobrinos a se invicem derivari putet, quod affini aliqua dialecto, vel iisdem moribus utantur: cum tamen a communi quodam stipite descendentes, e patrio sermone, cultu atque sacris, cum a se invicem discederent, alii hoc, alii illud, retinuerint. Id linguæ nostræ novatoribus, vel potius perturbatoribus, ad nauseam usque inculcavi, ne crederent, Germanos neque nasum, neque aures, neque oculos, neque armos habuisse, priusquàm ista vocabula a Romanis discerent. Latini & Græci antiquioris nobiscum originis vocabula communia retinuerunt, veluti βελομαι, *velle*, *wollen* &c. *ús sus*, *sau*, & multa alia. *Vacillare*, (lege, ut olim, *wakillare*,) Germanicum est *wakkeln*. Id demonstratur ex cognatis primitivis *Wage*, *wägen*, *Wiege*, *Wogen des Meers*, unde frequentativum *vaggeln*, asperius *wäkkeln*. Immodò, si credere velis, *gallus*, *ein Galle*, Germanicum est, cantorem vel cantantem denotant. Id patet ex voce *Nachtigal*, cantatricem nocturnam denotante & ex verbo *gällen*, *als wenn einem die Ohren gellen*. *Han septentrionale* est, pronomen *ille*; *Henne*, *illa*. In Thuringia *der Hänink*, *die Sä*. Belgis, *Hy* & *Sy*. Si plura tibi debeam, liberè moneto, ut intelligas me clarissimo nomini tuo esse addictissimum. Vale. *Francofurti d. 27. Jun. 1702.*

LIV.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

Ad præcedentes respondet, & nova quædam de publicis negotiis refert.

GAudeo te valere & mei meminisse, etiam dum magnum opus agitas historiæ nostri temporis. *Cluverius*, fateor, Germanos sub Fennis comprehendere non debuit, ne *Taciti* quidem auctoritate, cum ipse nosset, aliam esse gentem, de qua *Tacitus* non poterat judicare. Interim *Jordanes* non malè Germaniam magnam usque ad Tanaim extendit, tunc scilicet, cum Gothi illic degerent. Suionas quoque & Werigonenses non dubito Germanis computari debere, non minùs quàm Batavos, aut si qui alii dialecto distant. Nec magis a nobis absunt lingua, Suiones vel Suedi, quàm *Oisfridus* aut *Notkerus*. Suedos nostrorum Germanorum filios, non consobrinos, puto. Unde enim illi in natale Fennorum solum immissi, quàm ex nostris terris? Nempe omnia docent, Germanorum coloniam per Balticum mare, Danicis insulis impletis, transgressos in magnam illam peninsulam, litoralia occupasse & meliora, Aboriginibus Fennis in interiora & asperiora pulsos. Hæc fanè proxima & maximè naturalis via illuc ducendi Germanos; aliæ difficillimæ, nec nisi fabulis nixæ, quibus se quorundam pascit vanitas. De Celtis, malim, qui trans Rhenum nobis, fuisse consobrinos Germanorum, atque Græcos subconsobrinos, ut sic dicam, *ander Geschwister Kinder*, & Latinos ex connubio Græco-Celtico natos. Elegans est, quod observas, Germano-Celtica origine *gallum* esse *cantorem*; *nachtigal*, nocturnam cantatricem; *Obren gellen*, id est, aures sonare: fed addo, latiùs ire vim vocis, & generatim signa lætitiæ indicari: *Galla*, *galant*, *gail*, lætum est & pingue, atque etiam lascivum, *gailer Bock*, *Gailheit*, *Gailen*, testes virilitatis; galli, qui amiserunt, *ἀντιφρασμῶς*; *Galgia* Italis supernatare, exsurgere, exsilire (pp). Bene etiam notas *Han*, *He* esse masculinum; *Sie* foeminam. Etiam Lipsiæ, puer memini, aviculam canariam foeminam & similes, dici, *die Siehe*, & opponi *dem Hahn*.

In magna hic omnes nunc expectatione sumus novarum ex Polonia rerum, ubi Rex id agit, ut adversarium Regem invadat ante adventum Pomeranicarum copiarum: nam hæc ubi se conjunxerint, vereor, ne vicissim Rex Poloniæ in periculo sit; nam tunc Sueci etiam numero superiores erunt, militis bene ordinati. Si vincant, Saxoniam metuo, & quod hinc sequi-

(pp) His, illustrationis causâ addi potuissent Græcæ voces, *ἀγυλλια*; exsulto, & *ἀγαλιωσμαι* exsultatio.

sequitur, Germaniæ universæ, insurgente iterum a tergo hoste, qui Gallis olim in Germania vastanda maximo usui fuit. Nec refert, an foedus cum Gallis pepigerint Suedi, modo id agant, quod Galli omnibus votis petunt. Interim nec Suecos opprimi optarem, & præstaret coire tolerabilem pacem, inter Reges consobrinos & egregios, si audirent recta monentes. Aiunt copias jam pene in conspectu esse, confluere undique auxilia; hinc Oginskios; illic Sapiehas; addunt tamen quidam, non nihil retrocessisse Suecos, animo extrahendi rem, dum superveniat *Guldensternius* cum exercitu suo, nempe frustrati ope, Poloniae Regem, ante suorum adventum opprimendi. Exercitus Coronæ ut vocant, qui se nunc cum Rege conjunxit, exiguus & malè habitus. Nobilitas majoris Poloniae, ut vidit *Guldensternium* aditu arceri non posse, sequi constituit, expectare coeuntes Reges, & capere consilia ex habitu rerum. Hæc etsi valde indigna hominibus, quibus patriæ decus earum esse debet, minùs miror; ex quo animos omnium infedit suspicio, Regem insidias parare publicæ libertati. Ita fit, ut tacitis, animis domesticum pene hostem putent, extraneo periculosiorem. Adeo intutum est magnis etiam Principibus, sinceri animi laudem non tueri. Faxit Deus, ut clavis Anglo-Batava jam processerit ad Hispanum littus. Quodsi diutius vel ventis, vel hominum negligentia aut ignavia retinetur, jam fera hujus anni expeditio erit, & graves exsurgent querelæ in ipsa Anglia, focii verò omnia lamentis implebunt. Sanè poterat aliquid magni in ipsa Hispania geri, si facilè aliquid magni gerere possent dissoni, & magis necessitate, quam voluntate, coeuntes. Landaviam captum iri non dubitamus. Nam res ostendit, si Principi *Eugenio* potiùs viginti millium supplementa accessissent, spem Neapoleos potiundæ fuisse. Et profectò valdè verendum est, ne, si pristinum errorem erramus, quasi mora vinci possint Burbonii, quo multos inclinari video & miror, foederati disjungantur & omnia pessumeant. Sed Deus superest, qui omnia semper in melius vertit. Ei te commendo. Vale, vir amplissime & fave. *E palatio Regiæ, prope Berolinum. d. 25. Jul. 1702.*

LV.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De adventu Caroli III. Hispaniarum Regis Hanoveram, deque novis literariis.

P *Fessingerus* historiam sæculi decimi septimi elaborat (99); sed per indicis modum, ubique citans auctores, & inter eos te quoque. Expectamus in vicinia Regem novum Hispaniæ. Ibo, ut videam. Apud vos
Tom. VI. Y Fran-

(99) Edidit eam Hamburgi 1706. in 4t. Jahrhunderts, sed tantum viginti priorum inscripfitque: Merkwürdigkeiten des XVII. istius sæculi annorum historiam absolvit.

Francofurti, audio exstare *Gesta Trevirorum*, auctiora editis. Habeo ineditos & imperfectè editos rerum Germanicarum scriptores. Ex posterioribus eminet *Ditmarus*, editis egregior: nam & versus & præfationes habet, qui interpolationi adscribi non possunt. Chronologiam in historia nostra videor mihi sic satis constituissè, a *Carolo M.* ad *Ottonem IV.* Itaque Collegio historiæ Germanicæ multa jam auxilia suppeditare possem; sed magis in spem posteritatis, quàm quod his temporibus aliquid a nostris expectem, æquè in rebus eligendis atque inscribendis, malè patriæ consulentibus. De *Cl. Tolnero* diu est, quòd nihil intellexi. Utinam doctissimo *Pregitzero* in *historia Zollerana* (rr) elaboranda plus otii, plus subsidiorum fuisset. Vale. *Hanoveræ d. 2. Sept. 1703.*

P. S. Cùm aliquot dies *Herrenbusæ* in palatio Electorali egissem, & deinde cùm aula Hamelam profectus fuisset, videndi Regis Hispaniæ causa, dilata est harum literarum transmissio. Rex digno honore cultus est, & vicissim se humanissimum præbuit, nam & Electori & Principi Electorali sellas præbuit, quas *faldistoria* barbari vocabant Latini; unde suum Galli *Fauteuil* fecere; & obviam progressus ambobus simul venientibus, usque in aliquot scalarum gradus descendit, profectus deinde abeuntes etiam ultra. Hæc facta die Martis proximo, 9. Octobris. Elector prudentiam Regis ex habitis sermonibus, & rerum, quæ geruntur in republica, cognitionem, prædicat. *Hanoveræ die 15. Octobris 1703.*

LVI.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

Fragmentum ex otio Hanoverano p. 124. depromptum.

SI bene memini, *Justinianus* ille, qui Italico sermone *historiam Hispanicam* ante annos aliquot edidit, attigit etiam recentiora. *Historiam recentem* Italicam non ignoras tractasse *Brusonium*. Est & quidam *Lazari Patavinus* talium scriptor. *Orientelem* historiam scis non aliundè rectius, quàm ex recentiorum itinerariis corrogari. *Sinensem* ab anno 1651. ad annum 1669. descripsit *Grelonius* Jesuita Gallus. *Jo. Labardeus*, qui regius apud *Helvetios* orator fuit, *historiam suam* rerum Gallicarum ad annum 1652. perduxit. 9. Jan. 1701.

(rr) Hæc sub rubro: Teutscher Regierungs und Ehrenpiegel, besonders von des Hauses Hohenzollern, Ursprung, Würde und Herrlichkeit, lucem vidit Berolini 1703. fol. *Alia planè, sed haud scio an ju-*

stior; de præstantia hujus operis sententia fuit *Hübneri* in bibliotheca geneal. p. 529. quam citat diligentissimus scriptorum Brandenburgicorum investigator, Ge. God. Küsterus, Biblioth. histor. Brandenburg. p. 320.

GODEF.